H. Un.
178

Digitized by Google

FORTITER ET
CONSTANTER.

<36610810510018

<36610810510018

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

H. Un. 178

univ.
178

Digitized by Google

JOHAN. EISENHART.
In Academiâ Juliâ P. P.

DE FIDE HISTORICA

COMMENTARIUS

acceſſit

ORATIO

De conjungendis Jurisprudentiæ & Hiſtoriarum ſtudiis.

SECUNDA EDITIO RECOGNITA.

HELMSTADII,
Imp. JOH. MELCH. SUSTERMANNI,
Bibliopolæ ibid. MDCCII.

Digitized by Google

Christophorus Otto Comes et
Dns in Schallenberg &c. Præ-
-positus Constantiensis ab a°
1693. Canonicus Augustang ab
a° 1672. eigdemq; Ecclesiæ De-
-cang ab a° 1721. natus a° 1655,
6ª Junii, horâ 8ª matutinâ in
Hagen prope Linzium Austriæ
superioris. Patre. Comite Christo-
-phoro Ernesto &c. Matre, Chris-
-tinâ, natâ Baronissâ Schifferin,
denatus a° 17....

Bayerische
Staatsbibliothek
München

LECTORI BENEVOLO

S. P.

Qvem ante duos & viginti annos de fide hiſtorica edidi commentarium ipſa argumenti in aliqvam methodum redacti novitas illis eruditi orbis civibus præcipue commendavit, qvi profundioris ſcientiæ culturam ſectantur: Nam qvi proletaria tantum & ad fa-

rinam brevi parandam accommodata amplectuntur ſtudia hæc qvæ altiora ſunt & magis recondita tanqvam inanes & infructuoſas, ut ipſis viſum, ſpeculationes grandi ſupercilio contemnunt. Hic tamen neglectus veræ ſapientiæ ſtudiis non adeo noxius eſt, uti illorum φιλαυτία & ſuperbia qvi omnem veteris & recentis ævi eruditionem cenſuræ ſuæ ſubjectam eſſe arbitrantur, & qvidvis in aliorum ſcriptis pro lubitu carpere ſibi permiſſum credunt. Proxima enim hæc ad inſcitiam via eſt qvam Sceptici inſiſtunt dum receptas ab omni antiqvitate verasqve ſententias ſubtilibus commentis adoriuntur; qva fraude nondum ſatis ſubacti judicii lectorem præoccupant, ut ſana qvævis doctrina ipſi ſuſpecta videatur,

deatur, & una cum ſeductore ſuo delirare incipiat. Huic autem hominum generi præcipue exoſa eſt tum Ariſtotelis & veterum philoſophorum tum qvoqve juris civilis Romani doctrina: Et hoc ab omnibus credi volunt, nihil vel in Ariſtotelicis vel Juris Romani libris contineri qvod ex certis rationibus atqve immotæ veritatis principiis deductum; ſed omnia ad ſolam vel meram auctoritatem referri: Id qvod tamen à rei veritate alieniſſimum eſſe haud difficulter agnoſcerent, ſi absqve præjudiciis & diſcendi magis qvam carpendi ſtudio in illorum librorum lectione verſarentur. Loqvor autem præcipue de Ariſtotelis libris moralem ac civilem doctrinam complectentibus; ad qvas & libros Rhe-

toricos referri velim; in iis enim pauca duntaxat occurrunt in qvibus ille solidioris philosophiæ magister aliqvid humani passus sit. Libri ejus ad Logicam, uti vulgo vocatur, pertinentes, hujus qvoqve sunt loci; in qvibus tamen interdum se accommodavit genio suorum temporum, ad nimiam evagando prolixitatem, prout censet Barthol. Keckermannus: „ Multa ait, sunt in Aristotelis Or„ gano propria ejus temporis & „ non ad nostra sed ad Græcorum „ discipulorum, qvos tum ha„ buit, ingenia pertinentia. ---- „ Fuit & ea ejus temporis atqve „ auditorum Aristotelis ratio, ut „ summam eruditionis collocarent „ in peritia logica; ad Theologi„ am & alia superiora studia non „ ita adspirarent, ut nobis hodie

hoc

hoc ſeculo in Chriſtianis Academiis faciendum: Multa ergo illis ſcribenda tum fuerunt etiam ad ornamentum, ad ſuperabundantiam (ſicut videmus Italos hodiè facere in Arithmetica & Muſica,) potius Theoriæ & artis amplificandæ qvam uſus cauſa. ---- Sed boni interpretis eſt Ariſtotelem ex illa veteri Academia Athenienſi in noſtras Academias Chriſtianas traducere, i. e. ad noſtra ingenia ſtudia & ætatem prudenter accommodare. Hoc Keckerm. monitum & ad moralem civilemqve Ariſtotelis doctrinam referri velim; ut & hanc ad Theologiæ pariter ac Jurisprudentiæ ſtudia accommodandam eſſe intelligamus. In libris qvoqve Juris civilis Romani ubiqve qvidem regnat auctoritas

Juſtiniani Imp. pro ſua qvam in Imperio Romano habuit poteſtate legislatoria, vim legum iisdem applicantis: Verum etſi hoc ab eo ejusqve anteceſſoribus in Imperio factum non eſſet, nihilo tamen minus ea qvæ in illis libris continentur & interdum poſt aliqvam variarum ſententiarum collationem & inſtitutum examen rectiora viſa, aut in locum priorum ſubrogata ſunt, civilis ac forenſis prudentiæ regulis conformia manerent: utut itidem ad noſtra tempora noſtramqve vivendi rationem tam in publicis qvam privatis negotiis dextre accommodanda; & alia æqvitatis ratione urgente in uno atqve altero articulo interdum mutanda: Idqve in Ordinationibus Principum ac reliqvorum Statuum Imperii

perii ſtatutis qvondam & nuper factum eſſe conſtat. Inter multos è JCtorum ordine mecum in hac re conſentientes unicum lubet adducere Cl. Pagenſtecherum Anteceſſorem Groninganum *Benedictorum libri Collat. IV. p. 50.* Qvid enim? ait, jus civile collectum eſt ex præceptis Juris Naturæ & Gentium §. ult. J. de J. „ & J. qvid putamus? an non „ plurima, aut ut mollius loqvar, „ magna juris civilis pars continet „ talia qvæ jure naturæ & gentium, qvin & apud Philoſophos „ poetasqve certa atqve indubitata „ ſunt? Tolle hæc, hæc inqvam qvæ extra Corpus Juris „ Juſtinianei certiſſima ſunt, ex dicto Juris Corpore: at qvanta „ tum ſtrages edetur per legum „ omne genus! Qvid erit lauda- „

„ tiſſimum illud Juris Corpus ali-
„ ud qvam imbelle inaniisqve op-
„ pletum Sceleton, monſtrum
„ imo horrendum, informe, cui
„ lumen ademtum. Hæc ille.
Ut autem hæc, qvæ pro philoſo-
phiæ antiqvæ & juris civilis Ro-
mani maximam partem ſolidis ra-
tionibus, haud qvaqvam vero nu-
dæ auctoritati innixa veritate dixi,
illis qvi in ſtudiis liberalium arti-
um qvælibet pro lubitu ſugillan-
di & novandi pruritu agitantur
diſpliceant; Satis tamen mihi erit
plures extra pravum illum affectum
conſtitutos viros cordatos in illa re
mecum ſentire. Atqve his meam
hanc de fide hiſtorica commenta-
tionem recognitam nunc & qvi-
busdam locis auctam haud diſpli-
cituram confido; cum ubiqve de-
prehenſuri ſint me à novandi alios-

que

qve egregios viros traducendi ſtudio alieniſſimum à qvovis auctore idoneis rationibus innixas ſententias amplecti, & non temere nec absqve ratione ab uno alteroqve diſſentire. Ut cum Sceptico, qvem Vir Conſultiſſimus Chriſtianus Thomaſius Profeſſor Academiæ Fridericianæ adverſus me in ſcenam produxit, in certamen deſcendā nemo prudens mihi auctor fuerit. Ad unum alterumqve locum ab illo notatum explicationem aliqvam adjeci; è qva incorrupti judicii lector facile intelliget nimium jejunas eſſe illius ſtricturas; qvæ & ex ipſo tractationis meæ contextu plerumqve confutari poſſint. Adverſus fidem hiſtoricam in hypotheſi, ſeu hujus aut illius hiſtoriæ ſcriptoris fidem, multa eaqve gravia dubia poſſe

poſſe allegari ego nusqvam negavi: Ipſa tamen illa dubia omnibus ac ſingulis Hiſtoriarum Scriptoribus obſtare qvi affirmare auſit impudentiſſimæ arrogantiæ reus fuerit; & è conſortio hominum, utpote nulli fidem habens, ſine qva tamen ſocietas humana mutuis officiis conſervari non poteſt, ad bruta animalia relegandus. Sed ab ipſo Cl. Thomaſio *Cap.* II. §. *32. Diſſert. de Fide Juridica* in Scepticum dicta ſententia acqvieſco, ejusmodi hominem qvi auderet omnem fidem hiſtoricam in dubium vocare inſanienti ſuæ ſapientiæ relinqvendum eſſe.

Epiſto-

Epiſtola dedicatoria primæ
Editioni præmiſſa

ILLVSTRI VIRO

DOMINO

HVLDERICO EYBENIO,

S. Cæſ. Majeſt. & S. R. G. Imperii
in ſupremo Germaniæ Cameralí judicio
SENATORI
S. P.

Hiſtoriarum & Jurisprudentiæ Profeſſiones ſociatæ non debuerunt alium procreare fœtum, quam præſentis argumenti de FIDE HISTORICA; Jam ab antiquo enim qualis cauſa, talis quoque effectus eſſe conſvevit. Hiſtoriæ autem in foro

Digitized by Google

foro contentioſo uſus tum ex ipſa Hiſtoriarum, tum ex aliqua forenſium rerum cognitione efflorescit; Nam altera quidem ſuppeditat materiam argumenti, altera vero idipſum forenſi habitu formaque indutum in aciem educit, docetque & declinare ictus quos adverſarius jugulo ejus intentat, & ad victoriam cauſæ obtinendam gradum firmare. Nihil horum intactum relinquere volui in hoc Commentariolo: cumprimis enim oſtendo, quales hiſtoriæ ad fidem rei antiquæ faciendam allegari debeant, quibusque firmamentis hæc allegatio munienda ſit; quibus porro argumentis adverſario tali allegatione male utenti, aut à noſtra parte propoſitæ male contradicenti occurrendum; quibus denique rationibus hiſtorici volu-

Digitized by Google

voluminis fides, ſi non tota, ſaltem ex parte, defendi poſſit. In aliis enim quoque tum Naturæ tum ingenii, humanæqve dexteritatis operibus quicquid omni ſua parte conſervari non poteſt, ſæpenumero ſaltem aliqua ſui parte ſervatur. Sed ut ex corpore humano ſi membrum aliquod putridum recidendum ſit, non cuivis ſed perito committitur ſectio: ſic & judicare qua parte fides hiſtoriæ dividua ſit nec ne, certæ cujusdam peritiæ & artis eſt, cujus veſtigia in hoc libello expreſſa noſcuntur; quo monumentis hiſtoricis tum generale ſuum præſidium, tum, quoties illud obtineri non poteſt, ſaltem partium ſalutem vindicavi. Indoles propoſiti operis exigebat, ut ad vim poteſtatemque argumentationis ex fide hiſtoricâ apertius declaran-

randam paucis quoque ageretur de NOTORIO aliisque tum forenſis ſcientiæ, tum artis quoque apodicticæ nonnullis particulis; Id quod non quidem plene & ex dignitate cujusque materiæ, ſed tantum pro ratione & uſu principalis argumenti præſtitum. Neque vero cum legum civilium & legitimæ ſcientiæ interpretum auctoritas paſſim à me allegatur, inde colligi debet, ad ſolum forenſem uſum meam hanc lucubrationem pertinere; neque hîc tradi univerſalia fidei hiſtoricæ Principia ac fundamenta. Nam utut citra controverſiam apodicticæ artis ſit, declarare locos & fontes argumentorum vim demonſtrativam habentium: Uſus tamen cujusque argumenti in unaquaque ſcientia & arte præcipue perſpicitur in principiis

Digitized by Google

cipiis ac dogmatibus cujusque artis ac ſcientiæ propriis; quæ, tanquam materialia, ex propria ſede cujuslibet ſcientiæ repetita in formam demonſtrativi ſyllogiſmi componere artis apodicticæ munus eſt. Cum autem demonſtrationes eorum quæ facta aut non facta ſunt, nullibi frequentius occurrant, & nullibi majore ac diuturniore contentione agitentur quam in Eccleſiaſticarum Antiquitatum diſciplinâ, & cumprimis in exercitatione cauſarum forenſium; Scriptores qui alterutrâ harum ſcientiarum excelluerunt, ſimul etiam excelluiſſe cenſendi ſunt ratione ac ſcientiâ examinandi demonſtrationes factorum. Unde ſat mihi rationis fuiſſe patet, quare ex Theologis Launojum & Dallæum adduxerim Hiſtoricæ fidei cenſores;

Digitized by Google

præ ceteris autem, ut in argumento Juridice tractato fieri debuit, legum & canonum textibus, probatiſſimorumque Juris interpretum rationibus doctrinam ſuperſtruxerim. Nolui enim eos imitari qui nullâ ſcriptorum per quos profecerunt facta mentione, omnia pro ſui ingenii inventis (quandoque commentis potius) venditant; & hoc ſcribendi genus, qvod frequentiores continet Dd. allegationes, ceu nimis rude & impolitum contemnunt. Exceſſus quidem ejusmodi alleg. merito improbatur; arguit enim potius oſtentationem multæ lectionis, quam judicium accuratum: Sed tamen locis opportunis oſtendere conſenſum doctrinæ noſtræ cum aliorum celebratæ eruditionis virorum ſententiis; horum rationi-

Digitized by Google

tionibus evidenter veris inniti; qvæqve ab illis aut in universum tradita, ad speciem certam applicare; aut quæ ab illis ad individuum sunt directa, ad genus universum reducere, (qua ratione Launoji dissertationem de vera causa secessus Brunon. tractavi,) hoc sane extra justam reprehensionem positum est. Nec leges Imperii eam deductionum forensium formam damnant, quæ juris ex proposito facto emanantis allegationes exhibet; tantum ambitiosam illam allegationum intemperiem coërcuerunt & refrenarunt novissimæ Constitutiones. Occasio concinnandi præsentis Opusculi mihi fuit Oratio de fide historica à me habita, quæ secundis curis meis in ampliorem & ab Orationis schemate diversam formam

Digitized by Google

abiit. Alia qvippe rei tractandæ ratio Auditori, alia Lectori congruit: Illi enim, ni res valde ignota & admirationem excitans memoretur, molesta est allegatio librorum & capitum, omnisque prolixitas tædium parit. Attentus autem lector singula plenius cognoscere amat, & auctoritatem atque aliorum suffragia agnoscere gestit. Hac demum ratione liber sese Eruditis commendat, si Eruditorum auctoritate se muniverit. Quisquis vero omnium qui ante se sapientiâ claruerunt sententias superba præteritione contemnit, ipse quoque aliorum contemtui se exponit; Utique si deprehendatur suo tantum ingenio confisus plurima nimium jejune ac sterili vena pertractasse, quæ ab aliis nervose, profundis rationibus

ac ſolide dudum expoſita. Mirum enim ſi uni homini ingens ſapientia contigerit propriis tantum ingenii meditationibus, absque aliorum manuductione orta & conſummata, ac talis denique quæ ante ipſum nullius animum intraverit. Sed hæ præclarorum Auctorum ſententiis undequaque ſtipatæ lucubrationes meæ, quibus ad Fidei Hiſtoricæ rationes omnia revocavi, quæ quidem ad eas commode reduci poſſe mihi viſa ſunt, Hiſtoricæ quidem Profeſſionis initium mihi & finis exiſtunt; Fatis & Superiorum placitis res Academiæ noſtræ ita ordinantibus ut pro illa Hiſtoriarum & Poëſeos, Moralium Profeſſionis ſucceſſio mihi obtigerit. Cumqve hoc quidem articulo qualisqualis induſtriæ meæ ſpecimen ſcripto exhi-

 buerim,

buerim, Juridica nunc & Philoſophica Cathedræ ſolam vocem meam efflagitant. Tuo autem illuſtri nomini, Venerande Domine SOCER, Tuæqve in me paternæ & mei amantiſſimæ voluntati hunc meum Commentariolum ſacrum eſſe volui; ſponſoremque æternæ quam ingentibus Tuis in me meritis, nunquam ſatis digne exſoluturus, debeo pietatis & obſervantiæ. C. Tacitus honori Agricolæ ſoceri ſui jam defuncti librum deſtinavit: Tanto fortunatior ego, quod Tibi (faxit Deus ut quam diutiſſime) ſuperſtiti lucubrationes meas in pietatis & filialis reverentiæ documentum exhibere mihi liceat. Et cum hæc ad Te mea vox ſub initium præſentis anni proficiſcatur, DEUM precor ut novo hoc ineunte, multisqve ſecuturis annis optatiſſimam proſperitatem Tibi largiatur. Dabam in Acad. Juliâ IIX. Jan. CIↃ IↃ CLXXIX.

omni filiali obſequiô & obſervantiâ
Tibi devinctiſſimus

JOHAN. Eiſenhart / D.P.P.

NOBI-

Digitized by Google

NOBILISSIMO ET CLARISSIMO VIRO

DOMINO

JOANNI Eisenhart/

J. U. D. Ac PROFESSORI,

COLLEGÆ ET AMICO SUO
longè cariſſimo,

S. P. D.

HERMAN. CONRINGIUS.

Plurimum mihi placet illa, qvam impendiſti jam tum operam, in illuſtrando & ampliſſimo pariter & utiliſſimo argumento. Et vero fidei humanæ certitudine non tantum omnes præterito tempore initi hominum contractus, adeoque ſocietatis humanæ pleraqve negotia

gotia, ſibi conſtant, ſed nituntur quoque bonam ſaltem partem, ipſæ ſcientiæ atque artes, quotquot non ſolo intellectu ſed etiam experimentis acquiruntur, qvales ſunt in univerſum cunctæ, ſi eas quas mathematicas puras ſcholæ appellant exceperis. Fateor enim ego quidem, ſcientias illas atque artes à propria experientia firmiſſimum accipere poſſe quaſi fundamentum; attamen omnia experiri non poſſumus ipſimet nos, & quamplurima talia alij jam obſervaverunt, nobis inexperta; adhoc ſæpenumero fallit homines credita experientia, ut proinde opus ſit aliorum quoque conteſtata approbatione: Hinc autem conſequens eſt, ad comparationem ſcientiæ ſive artis alicujus id genus alienam teſtantium fidem conſulere omnino eſſe neceſſarium. Tua lati juris prudentia, quemadmodum circa jam ante geſta in facti qvæſtionibus multa ſolet judicare teſtium fide, ita legum ſuarum auctoritatem accipit à teſtimoniis, quæ de legum aut ipſa latione, aut priſca & conſtante interpretatione ſunt prodita. Quid? quod & revelata omnis religio,

hodie

hodie quidem, certitudini humanæ fidei innixa sit. Revelata inquam: Quoniam illa quam Naturalem vulgo nuncupamus ex iis quæ in sensus semper incurrunt satis ἀποδεικτικῶς manifesta est; etiam illa tamen plurimum roboris demonstrativi nanciscitur ex narratione eorum quæ ab orbe usque condito contigerunt. Cæterum ipsamet Revelata nostra religio tota, quanta quanta est, ad nos denique pervenit scriptis Propheticis atque Apostolicis, narrantibus ea quæ divinitus sive facta sunt olim sive jussa aut vetita: Ut & scriptorum istorum fideli ad posteritatem traditione. Imò non aliud fundamentum religionis suæ, sive Muhamedanæ, sive hodiernæ Judaicæ, sive Bramanicæ, sive Sinensis, sive alterius alicujus, miseri earum cultores aut possunt aut solent vel obtendere. Ita nempe docuisse olim Muhamedem, ita Rabbinos priscos, ita Bramam, ita Confuso, ita alios fide dignos magistros. Quin igitur illud quod suscepisti excolere, Præclarissime EISENHARTI, *argumentum perquam sit nobile, amplum, & maximi momenti, nemo pru-*

dens temere dubitaverit. Recte vero etiam docuisti probasque, fidei illius historicæ per esse magnam quidem diversitatem, quandam vero adeo esse certam, ut fallere & falli nequeat, ac proinde vim habeat perfectæ demonstrationis. Et vero intolerabilis est illa multorum assertio, aptaque evertendi omnem humanam vitam, omnes scientias, omnes artes, omnem religionem; quod in universum omnis historica traditio moralem duntaxat fidem mereatur, quæ sit cum formidine falsi conjuncta, adeoque δοξαστικὴ quidem non ἐπιστημονικὴ tamen. Requiritur sane ad certitudinem hanc historicam, uti sis certus, testem illum qui aliquid perhibet, & certo novisse, & bona fide id quod noverat prodidisse: Quale quid raro solet occurrere. Nec negaverim in civilibus fori negotiis semper usque adeo accuratam certitudinem haud fortasse postulari. Quin tamen illa undequaque perfecta certitudo possit de quamplurimis in promptu esse, ad religionem porro ante omnia, ut & ad scientias atque artes esse illam necessariam,

Digitized by Google

riam, equidem haud dubito intrepide profiteri. Quoniam igitur reapſe argumentum libelli tui, Optime EISENHARTI, *usque adeo eſt ampliſſimi uſus, probo quidem illa tua, quæ hactenus attuliſti meo calculo omnia, (nihil enim illorum non eſt doctum atque exquiſito ſubactum ſtudio,) opto tamen tibi & otium pariter & firmam valetudinem, ad materiæ hujus ulteriorem elaborationem. Non enim de tua voluntate juvandi bonum publicum vel tantillum dubito; quippe qui & diligenti juventutis noſtræ Academicæ inſtitutione, & jam tum editis nonnullis illum pridem mihi jam tum notum propenſum egregium animum probaviſti: Tantum igitur voveo Tibi ea, qvæ præclaris rebus exigendis ſunt neceſſaria, otium atque valetudinem. Quæ ut in hunc & multos ſecuturos annos Tibi eveniant, DEUM Optimum Maximum veneror. Helmſtadij Anno 1679. Idibus Januarij.*

Fingere

Digitized by Google

)o(

Fingere qvin liceat pictoribus atque poëtis
Nil vetat: Historici *sed mage certa* fides.
Hunc decet exacte perspectum scribere verum,
Prodere nec vulgi somnia vana rudis.
Quod munus calamo dum Tu describis acuto,
Optime Amicorum, credere multa jubes.
Credere quæ dextre veterum monumenta loqvuntur,
Et referunt Fastis secula prisca suis.
Scilicet ut testi merito quis fidit honesto;
Sic fidis *pariter* fidimus *Historicis.*
Tu quoque qui veterum tabulas monumentaque sollers
Versas, ingenio fidere *disce Tuo.*
Siç qvam Diva fidem *concepit Julia de Te,*
Hic præsens vincet vel sine teste liber.
Quin Tua Te *Virtus rutilantibus inseret astris*
Et tradet seclis innumerabilibus.

In honorem Cl. Dn. Collegæ
L. M. Q. f.
JUSTUS CELLARIUS
S. Theol. Lic. P. P.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

CAP. I. *Varia ingenii humani in historia occupationes.* p. 1.

CAP. II. *De nomine fidei, ejusque varia significationes.* p. 8.

CAP. III. *Definitio Historiæ; & qvam late pateat nominis significatio.* p. 15.

CAP. IV. *Proponuntur rationes dubitandi de fide historica; & prima ratio qva eadem demonstratur.* p. 32.

CAP. V. *De fama ac Notorio, hujusqve differentiis & probatione; Qvodqve historiæ in nonnullis inducant notorium.* p. 37.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VI. *Ulterior deductio rationum fidem historicam ostendentium.* p. 53.

CAP. VII. *Historiæ & libri Chronici num scripturis publicis an vero privatis annumerari debeant; Et Jureconsultorum de fide historica sententia.* p. 63.

CAP. IIX. *Fundamenta exceptionum, quæ allegatæ fidei historicæ opponi possunt: earumque discussiones.* p. 81.

CAP. IX. *Quale argumentum à fide historica ducatur; quibusque rationibus illud firmari debeat.* p. 99.

CAP.

Digitized by Google

CAP. X. *Solutio rationum dubitandi de fide historica.* p. 117.

CAP. XI. *Quibus rationum momentis historica fides ejusque gradus expendi debeant; veraque historia à fabulosa narratione dijudicetur.* p. 127.

CAP. XII. *De usu fidei historicæ.* p. 153.

* * *

De conjungendis Jurisprudentiæ & Historiarum studiis. Oratio. p. 169.

CAPUT I.

Digitized by Google

CAPUT I.

Variæ ingenii humani in hiſtoria occupationes.

1. Hiſtoria rerum.
- - hiſtoriarum.
Indices hiſtoricorum.
2. Iudicià de hiſtoricis.
3. Ars hiſtorica qvænam. ejus ſcriptores.
4. De uſu hiſtoriæ.
5. Qvotuplex ille ſit.
6. Proprius & genuinus.
7. Hiſtoriæ eſſentia.
Lex hiſtoriæ prima.
8. - - Secunda.
9. Uſus hiſtoriæ proprius.
Virtus propria.
10. Hiſtoria & fides hiſtorica ſemper conjuncta.
11. Syllogiſmus alius verus, alius apparens.
Similiter & hiſtoria.
12. Confunduntur ea propter imperitiam.
13. Diſtinguuntur verò à peritis.
Inde dari oportet ſcientiam fidei hiſtoricæ.
14. Interdum anceps judicium fidei hiſtoricæ.
Interdum verò certum ac minime dubium.
15. Scientia examinandæ fidei hiſtoricæ.
16. Partes tractationis de fide hiſtoricæ.

§. I.

HIſtorias qvidem variarum rerum ab Orbe condito ad noſtra usqve tempora ſcripſerunt qvam plurimi: Sed nec pauci Hiſtoriarum hiſtorias ſeu enumerationem variorum omnis

Digitized by Google

ævi hiſtoriæ ſcriptorum compoſuere: Alii qvidem fere in modum indicis, juxta ſeriem vel temporum vel gentium celebriorum, qvalem exhibet Bodinus *Methodi hiſtoriarum cap. X.* David Chytræus *in Chronologia Hiſtoriæ Herodoti & Thucydidis*, Eduardus Simſonius *in paraſceve ad chronicon catholicum*, Michael Routartius in Oculo hiſtoriæ *Cap. 9. 10. 11. 12. 13. ſeqq.*

§. 2. Paulo plenior eſt, & judicium de hiſtoricis interdum fert Barthol. Keckermannus *in auctario Commentarii de Natura & proprietatibus hiſtoriæ cap. III.* ut & ipſe Bodinus *M. H. cap. IV. & V.* Luculentiſſimus verò eſt & graviſſimus Hiſtoriæ Scriptorum promus condus Gerhardus Johannes Voſſius duplici Opere *de Hiſtoricis Græcis & Latinis*: Poſt qvem & Degoreus Whear in *Relectionibus hiſtoricis* doctorum virorum de ſingulis, qvos ſecundum ordinem temporum recenſuit, Hiſtoricis judicia ſubnectit. Recentius eſt alphabetico ordine compoſitum Jo. Hallervordi Regiomontani *de Hiſtoricis Latinis Specilegium*, operi majori præmiſſum.

§. 3. Artem qvoqve Hiſtoricam, ſive de hiſtoriæ & hiſtorices natura, hiſtoriæqve tum ſcribendæ tùm legendæ præceptis commentationem poſt alios, qvorum pleriqve continentur in *artis hiſtoricæ Penu* Baſileæ edita anno 1579. compoſuit vir induſtrius Bartholomæus Keckermannus, *de Natura & proprietatibus hiſtoriæ* commentario Hanoviæ anno 1610. edito:

Digitized by Google

edito: In cujus auctarii cap. II. recenſet Scriptores qvi in jam allegata Penu continentur. Poſt Keckermannum & G. J. Voſſius *Artem hiſtoricam* integro libro complexus eſt.

§. 4. Et hi duo poſteriores artem hiſtoricam ſeu ſcribendæ hiſtoriæ præcepta, tanqvam ordine priora, diſtinxêre ab iis qvæ uſum hiſtoriæ declarant; in qvibus tradendis magis occupatus eſt Bodinus jam ante memoratus, & Fr. Balduinus *de Inſtitutione Hiſtoriæ univerſæ:* Qvamvis compoſitio & ars ad uſum tanqvam finem ſuum ordinari debeat; Et ex ipſa arte ejusqve præceptis de uſu operis ab arte producti rectè judicare poſſit is qvoqve qvi artis peritiam habet.

§. 5. Uſus autem hiſtoriæ, uti aliorum operum, etſi varius eſſe poſſit; unus tamen præcipuus eſt, & rei naturæ convenientior, ac qvaſi proprius. Atqve uti ſutor ille, cujus mentio fit in *l. 5. D. ad l. Aqviliam*, cum puero diſcenti, parùm benè facienti qvod demonſtraverat, forma calcei cervicem percuteret, monendi qvidem cauſa utebatur forma calcei; hic tamen non erat uſus formæ illius proprius: Sic qvi ex hiſtorico qvodam opere aut colligunt eleganter loqvendi ſcribendiqve formulas, aut temporis fallendi cauſa ad animi recreationem hiſtorias legunt, aut etiam ut exemplis in hiſtoriâ memoratis animum ad recte vivendum forment, omnes hi uſum aliqvem hiſtoriæ percipiunt; rectæ qvidem ratio-

ni congruum ; non tamen hiſtoriæ proprium ; ſed talem qvi vel ex fabulis eleganter & docte compoſitis qveat percipi.

§. 6. Uſus autem hiſtoriæ proprius ex genuina ejus indole ac natura, à reliqvis cum hiſtoria ſimilitudinem aliqvam habentibus, qvales ſunt fabuloſæ ac fictæ relationes, ſeparata poteſt intelligi.

§. 7. Ab iis igitur qvi artem hiſtoricam tradiderunt qvaſi mutuo accipientes, cum acceſſione poſtea reddituri, eas rationes qvæ naturam ac genuinam hiſtoriæ indolem declarant, ſupponimus hiſtoriæ eſſentiam duabus qvaſi ex partibus conſtare, materia nempe & forma: Materia ejus eſt enarratio rerum ſingularium, ſive individuorum ; Formale verò illius eſt veritas. Nempe opus eſt *ut narratio hiſtorica conſentiat cum re ipſa:* Barthol. Keckerm. *de natura & proprietat. hiſtoriæ cap. III. p. m. 32.* G. J. Voſſ. *art. hiſtor. cap. IX.* ubi M. Tullii e lib. II. de Oratore præclare dictum apponit : *qvis neſcit primam eſſe hiſtoriæ legem, ne qvid falſi dicere audeat.* Etenim, ut eleganter ſcribit Jo. Anton. Viperanus *lib. de ſcribenda hiſtoria cap. 10.* hiſtoriæ fundamentum & firmamentum, ſpiritus & anima eſt *veritas*, absqve qva nullam neqve *formam* neqve *fidem* habebit. Retinebit qvidem ſine elegantia verborum & ſententiarum ornatu nomen ſuum ; at ſine *veritate* nullam vim, nullam *auctoritatem*, ne nomen qvidem ſuum retinebit ; nec ſe tueri, nec defendere

dere ab illius vituperatione & reprehenſione poterit: Et *mutata* jam figura, (rectius *forma*) non amplius hiſtoria, ſed fabella qvædam inanis & commentitia res dicetur. Hæc Viperanus in *artis hiſtoricæ penu tomo I.* Qvamvis hæc ſententia ſpecioſis qvibusdam rationibus qvodammodo dubia reddatur; prout *Cap. III.* videbimus.

§. 8. Qvæ autem ibi additur ſecunda hiſtoriæ lex; *Neqvid veri non audeat* dicere; magis ad hiſtoriæ integritatem pertinere videtur; ut narratio omnibus partibus abſoluta ſit; & hiſtoricus bona fide in hiſtoria ſcribenda utatur; lectoremqve non decipiat, unam circumſtantiam indicando; alteram, qvæ judicium ejus ſufficienter inſtruere poſſit, ſubdole reticendo.

§. 9. Ex his verò præſuppoſitis & uſus hiſtoriæ proprius haud difficulter poteſt intelligi; conſiſtens nimirum in manifeſtatione veritatis de rebus qvæ in hiſtoria enarrantur: Ita enim Lucianus de ſcribenda Hiſtoria; *Unum*, inqvit, *opus eſt hiſtoriæ, & unus finis, utilitas qvæ ex ſola veritate conciliatur*: Qvam qvi citra illam hiſtoriam ſciunt, veritati illius indubitatum præbere poſſunt teſtimonium; idqve vel expreſſa vel tacita approbatione illorum qvæ in hiſtoria narrantur: Qvi autem veritatem rerum in hiſtoria commemoratarum aliunde haud nôrunt, eamqve ex ſola hiſtoria nôſſe cupiunt, de fide hiſtoriæ haud immerito ſolici-

ti ſunt; inqve eam, ne decipiantur, accuratè inqvirunt.

§. 10. Hactenus qvidem hiſtoria propriè dicta & fides hiſtorica nexu inſolubili junctæ ſunt; ut ubi illa adeſt, hanc qvoqve adeſſe ſit neceſſe. Hoc autem ſæpe numero in qvæſtione eſt, an, qvæ proponitur narratio rerum geſtarum, hiſtoria ſit; Cujus veritas ſi haud conſtet, fides hiſtorica qvoqve ceſſat.

§. 11. Etenim qvod Ariſtot. lib. *de Sophiſt. Elenchis cap. 1.* recte docet, *alios eſſe Syllogismos, alios cum non ſint, videri, perſpicuum eſt: Qvemadmodum & in aliis rebus hoc fit, ob qvandam ſimilitudinem, ita & in argumentationibus:* addo, & in relationibus rerum geſtarum; qvarum qvædam hiſtoriæ ſunt; qvædam cum non ſint videntur, ob qvandam ſimilitudinem: Videlicet qvod loca, tempora, perſonæ qvæ exſtiterunt, & negotia referantur qvæ fieri potuerunt; an verò iſta ſint facta prout narrantur, hoc demum eſt qværere hiſtoriam.

§. 12. Qvod autem, pergit Ariſtot. d. l. *alii qvidem Syllogiſmi veri ſunt; alii non ſunt, ſed videntur*, hoc ita fit *propter imperitiam: Nam imperiti qvaſi procul diſtantes contemplantur*: Sic qvoqve hiſtoriæ & commenta ſeu fictæ relationes ab imperitis tanqvam procul diſtantibus haud poſſunt diſcerni; ſed aut à credulis pariter pro veris habentur; aut ab incredulis pariter rejiciuntur & falſa reputantur.

§. 13. At verò qvemadmodum corpus hominis

minis ſanum, ab eo qvod, cum non ſit, videtur tamen ſanum eſſe, dijudicare periti & ſcientis medici eſt; Et in inanimatis aurum & argentum verum ab iis maſſis qvæ ad ſenſum viſus procul ſtantis talia videntur; (*Nam lythargyrina & ſtannea videntur eſſe argentea, qvæ verò felle tincta ſunt, aurea* Ariſt. d. l.) horum, inqvam, unum ab altero diſcernere periti hominis eſt; qvi viſu, tactu, plerumqve & ex qviſitioribus probandi artificiis verum aurum & argentum ab iis qvæ talia non ſunt, qvamvis externam ſpeciem auri argentiqve exqviſitam præ ſe ferant, dijudicat. Uti itaqve datur ſcientia ſani & morboſi ſtatus in corpore humano; nec non ſcientia dijudicandi aurum argentumqve verum à putativo; Sic qvoqve datur aliqva fidei hiſtoricæ explorandæ atqve examinandæ ſcientia; Ex cujus fundamentis ac principiis hiſtoria à falſis aut incertis relationibus poſſit ſecerni.

§. 14. In iis qvidem vel ſcriptis vel ore prolatis relationibus, qvæ *hiſtoriæ* ſpeciem gerunt, haud raro hæſitat periti hiſtoriarum cenſoris judicium; ut non auſit aut pro vera aut pro falſa habere rem memoratam; ſed teneatur eam in medio relinqvere: Propterea tamen haud oportet negare omnem veritatem & fidem hiſtoricam: utpote qvæ multis caſibus adeo manifeſta eſt, ut ſtolidi hominis ſit eam in dubium vocare.

§. 15. Sufficit itaqve ad commendationem

hujus ſcientiæ, qvod ex ejus principiis & rationibus fidem hiſtoricam in iis caſibus, ubi ea haberi poteſt, manifeſtam reddere; in aliis verò ubi ea deficit, hoc qvoqve demonſtrare liceat. In qva qvidem tractatione non oportet qværere rationes demonſtrativas qvales à mathematico poſtulantur; ſed qvales admittit rei ſubjectæ conditio, pluribus ſubjecta variantibus circumſtantiis; pro qvarum diverſitate ejusdem hiſtoriæ fides in una parte firma & immota ſtat, in alia interdum claudicat & vacillat.

§. 16. Ut autem fidei hiſtoricæ natura & origo, vel principium, qvatenus vel ratione vel auctoritate nititur, gradus qvoqve e qvibus pateſcat qvarum hiſtoriarum fides vel minor vel major ſit, & qvibus ex cauſis hoc eveniat; ipſe deniqve uſus fidei hiſtoricæ in alio atqve alio ſtudii genere accuratius declarari qveant; de ipſa fide & hiſtoria in univerſum qvædam præmittenda ſunt; qvibus reliqva ordine ſubjungentur.

CAPUT II.

De nomine fidei, ejusqve variæ ſignificationes.

1. *Fidei nomen æquivocum.*
2. *Fides pro intentione ac propoſito implendi pacta conventa.*
3. *Fides inter partes juſtitiæ numeratur. Res credita.*
4. *Fides pro aſſenſu intellectus.*
5. *Fi-*

Digitized by Google

5. *Fides ſenſuum certa.*
6. *Certitudo phyſica.*
7. *Certitudo moralis.*
8. *Senſuum fides Notariis commendata.*
9. *Officium Notarii ad naturaliter & moraliter certa pertinet.*
10. *Fides, Scientia & intelligentia qvomodo diſtingui ſoleant.*
11. *Fides ad ea qvoqve progreditur qvæ ad objectum ſcientiæ pertinent.*
Fides carbonaria.
12. *Fides dicitur & ipſe aſſenſus, & ratio qvæ aſſenſum elicit.*
Fides hiſtorica & ejus principium.

§. I.

PRimum omnium cùm de Fide ſermo futurus ſit, ipſum nomen fidei à diverſis, qvibus obnoxium eſt, æqvivocationibus liberare oportebat; ſed cùm hoc præſenti loco, ubi tantùm de una ejus ſpecie, qvatenus nempe fides hiſtoriæ ineſt, agere propoſitum, ſit inconveniens, ſaltem illas fidei ſignificationes, qvæ præſenti inſtituto viciniores ſunt, attingere juvabit.

§. 2. Non autem niſi ex parte hujus argumenti eſſe videtur illa fides, qvæ Cic. *I. de Off.* fundamentum juſtitiæ eſſe dicitur, ac definitur *dictorum conventorumqve conſtantia & veritas*; Conſtantia qvidem, (ut Nic. Vigel. *tr. de fide JCtorum*, hunc Ciceronis locum explicat,) in exeqvendis iis qvæ decreta conventaqve ſunt, verſatur, & ita futura tantum reſpicit, ut fiant ea, de qvibus convenit. Hinc JCtus in l. 21.

ff. locati. *Bona fides*, inqvit, *exigit ut, qvod convenit, fiat.* Veritas autem etiam circa præsentia & præterita versatur, ut vera sint ea, qvæ qvis dicit, ne qvis in errorem ducatur. Hactenus *N. Vigel.* Adeoqve veritas dictorum quodammodo prior est constantiâ illâ persistendi in proposito adimplendæ conventionis, & ipsâ ejus adimpletione, qvâ fides promissi liberatur.

§. 3. Et ita qvidem fides est pars justitiæ: qvod ipse Tullius agnoscit in Partitionibus, loco, qvem integrum exhibere visum: *in communione autem qva posita pars est (virtutis) justitia dicitur; eaqve erga Deos* religio; *erga parentes* pietas, *vulgo autem* bonitas; *creditis in rebus* fides; *in moderatione animadvertendi*, lenitas; amicitia *in benevolentia nominatur.* Fides hîc refertur ad res creditas; Qvod nomen *omnes contractus qvos alienam fidem secuti instituimus, complectitur.* Nam *credendi generalis appellatio est, & cuicunqve rei assentiamur alienam fidem secuti, mox recepturi qvid ex hoc contractu, credere dicimur:* Ita JCti *in l. 1. ff. de rebus creditis si cert. petat.* propemodum omnes profundâ ex Philosophia petitas fidei significationes delibando.

§. 4. Refertur enim fides ad intellectum qvoqve, & generaliter qvidem denotat *assensum* iis qvæ aut sensu aut intellectu cognoscimus, veritatem eorum amplectendo, adhibitum. Huc pertinet illustris locus Plinii *Natural. historiæ lib. VII. cap. 1.* Qvis Æthiopas, antequam cerneret, credidit? .... Naturæ verò

rerum

rerum vis atqve majeſtas in omnibus momentis fide caret, ſi qvis modo partes ejus, ac non totam complectatur animo.

§. 5. Qvæ proprio ſenſu homo rerum intelligens percipit, iis aſſenſum præbet & fidem certam atqve indubitatam. Utut enim, verba ſunt Hedionis *lib. 1. poſt. analyt. Sect. 1. cap. 1.* non raro accidat ut ſenſus per accidens & propter defectum alicujus ſentiendi reqviſiti & adminiculi præbeat erroris occaſionem, ſi tamen omnia adſint reqviſita & cuncta recte ſe habeant, fieri plane non poteſt ut ſenſus erret aut fallat; ſed judicium ejus, ut ita loqvi liceat, certiſſimum eſt & plane infallibile. *Hæc ille.*

§. 6. Ex iis qvæ ſenſu recte ſe habente, in objecto habili congruo modo percepta ſunt, intellectus format principia demonſtrativa; & ex iis colligit concluſiones de cauſis & affectionibus rerum. Atqve in his qvoqve eſt *evidentia & certitudo naturalis*, qvatenus ex principiis certis naturali intellectus lumine inventis & perſpectis ortum habet: Talis eſt *cognitio diſcurſiva* ex effectus exiſtentia colligens exiſtentiam cauſæ; *ut cum qvis ſentit calorem vehementem, evidenter arguit ignem adeſſe: Hujus nempe collectionis oppoſitum phyſicis principiis repugnat:* Hurtad. de Mendoza *Diſp. in univerſ. Philoſ. part. poſt. de anima Diſp. IIX. Sect. III. §. 11.*

§. 7. Qvæ verò unus homo ſenſu ſuo percepit, ea alteri non poteſt manifeſta evidentia ac certa reddere, ejusqve aſſenſum elicere, niſi

niſi aut offerendo idem objectum proprio illius ſenſui; aut, ſi hoc fieri non poſſit, fida relatione eorum qvæ ipſe ſuo ſenſu recte percepit ac deprehendit: Cujusmodi relatio in auditore *moralem* parit *certitudinem*: Cum in genere morum repugnet & incredibile ſit hominem notæ probitatis ſcienter falſum dicere.

§. 8. Utrumqve hoc cognoſcendi principium conjungit Conſtitutio Imperii de officio Notariorum anno 1512. publicata: *Die* Notarien *ſollen ſich auch hüten, das ihrer keiner auf jemands, vvie glaubvvürdig der vvere, anſagen oder* Relation, *noch ichts anders, mehr oder vveniger denn vvas vor ihm und den Zeugen ---- gehandelt und geſchehen vvird ---- und das ſo er mit leiblichen Sinnen vermerckt ---- in ſeinem* protocoll *auffſchreibe &c.* Mox tamen diſtinguit Conſtitutio: *Aber an dieſelben Sinnen iſt Unterſcheid zumachen, denn der Geſicht und Gehör halben iſt gnug daß der* Notarius *in Beyvveſen der Zeugen ſehe und höre. Aber der andern Sinnen halben, als mit Verſuchen, Koſten, Taſten, Riechen oder Schmecken, iſt noht, daß die Zeugen vor ihm koſten und verſuchen, taſten oder riechen, und vvas Sie durch ſolch ihre Sinnen empfahen, vor den Partheien, Zeugen und* Notarien *eröfnen, denn von dieſem und nicht von ſeinen eigen Verſuchen, oder Koſten, Taſten noch Geruch mag ein* Notarius *kräftiglich bezeugen.*

§. 9. Hactenus duplex eſt cognitio eorum qvæ

qvæ ſenſu percipiuntur, propria & aliena: Illius principium eſt ſenſus, & ratio ſenſui juncta; unde *certitudo phyſica* ſeu *naturalis*; qvam & Notarius in iis habet qvæ viſu aut auditu ipſe percipit: In iis verò qvæ teſtes in re, qva de agitur, coram perſonis ad qvas ea pertinet, teſtibus & Notario, tactu guſtu, olfactu percipiunt, & manifeſtant, Notarius, ſi ipſe ea ſuo qvoqve ſenſu non exploret, tantum habet *certitudinem moralem*: Cujus principium eſt indicatio teſtium, cum ipſa rei evidentiâ pene conjuncta: Qvæ in præſenti caſu certa atqve indubitata eſſe intelligitur: Qvoniam perſonæ, ad qvas res qva de agitur pertinet, confeſtim id indicaturæ & rem ipſam explorandam exhibituræ eſſent, ſi teſtes de iis, qvæ ſuis ſenſibus perceperunt, falſi indices forent.

§. 10. Et omnis qvidem aſſenſus qvem præbemus concluſioni ob auctoritatem dicentis, à Scholaſticis vocatur *fides*; Sicut is qvi per principia demonſtrativa habetur, *Scientia*: Joh. Muſæus *Diſp. de ratione argumentandi à teſtimonio Hiſtoricorum* §. 10. Qvi autem primis cognoſcendi principiis ab intellectu præbetur aſſenſus vocatur *Intelligentia*: Iis enim ſumma ineſt evidentia ac certitudo; ut omnino repugnet aliter ſe habere: vid. P. Hurt. de Mendoza *d. diſp. IIX. Sect. III.* §. 16.

§. 11. Qvandoqvidem verò non omnes ea ſunt judicii maturitate, ut rationum vim & concluſionum ex iis deductarum veritatem per-

perſpiciant; Sed tamen propter firmam opinionem qvam, de docentis ſcientia & veracitate animo conceptam habent, aſſenſum verbis ejus præbent: Inde fit ut fides qvam diximus, ad ea qvoqve progrediatur, qvæ ad objectum ſcientiæ atqve intelligentiæ pertinent; Ejusdemqve rationis ac concluſionis inde deductæ alius certitudinem, alius tantum opinionem probabilem habeat: Cujusmodi aſſenſus, ſi plane indiſcretus ſit, ad *fidem carbonariam*, uti vocatur, pertinet: Qvo tamen nomine infamari non debent qvi doctrinæ, qvam ipſi qvoqve perſpectam habent, plurium ſeculorum conſenſu receptæ addicti ſunt.

§. 12. Ceterum uti non ſolummodo aſſenſus alicui orationi vel rei propoſitæ adhibitus vocatur fides; ſed & ipſa ratio propter qvam aſſenſum præbemus eodem nomine venit: Et apud Ariſtot. I. *Rhetor. I. n. 77.* prout Jo. Sturmius in Scholiis notat, *duo ſignificat πίστις, & ipſum argumentum, & ipſum medium:* Fides *argumentum dicitur, qvia facit homines πιστεύειν, credere & fidem habere:* Sic & fides hiſtorica ſignificat tùm *aſſenſum* qvem rebus in hiſtoria enarratis præbemus; tum qvoqve ipſam *auctoritatem* & vim qvandam demonſtrativam, qvæ hiſtoricorum teſtimonio vel hiſtoriæ ineſt; & ex hiſtoriæ ſcriptoris præſumta ſcientia ac veracitate naſcitur; qvæ principium ſeu ratio eſt ſub qva & propter qvam aſſenſum relationi hiſtoricæ accommodamus. Cauſæ autem qvæ illam

illam præsumtionem pariunt, & ad eam firmandam concurrunt, infra *cap. IX.* exponentur.

CAPUT III.

Definitio Historiæ, & quam late pateat nominis significatio.

1. *Historia pro doctrina universalium.*
Historia animalium, anima.
2. *Historiæ definitio.*
Ejus & divinationis differentia.
3. *Naturalis scientia eventuum futurorum.*
in astrologicis.
in politicis.
in forensibus rebus
in arte medica.
in architectura.
4. *Fundamentum scientiæ futurorum.*
5. *Politicæ divinatricis fundamentum.*
6. - - *Usus*
Historiarum insignis usus in Politicis,
7. *Veritas num sit de essentia historiæ.*
Normæ cum historia comparatio.
8. *Examen similitudinis normæ Polybianæ.*
9. *Defensio similitudinis normæ Polybianæ;*
Ejusque correctior explicatio.
10. *Requisita historici boni.*
Historicus errans & mendax differunt.
11. *Exemplum historiæ falsis relationibus contaminatæ.*
12. *Objectum historiæ*
Naturalis historiæ scriptores.
13. *Historia rerum artificialium.*
14. *Historia pacis & belli negotiorum.*
Particulas historia contineri libris ex professo eam

eam non tractantibus.
15. Quorundam doctorum virorum epistolis historiam contineri.
16. Personalia quæ concionibus funebribus annectuntur.
17. Historiæ & Poëseos differentia.
Lucanus & Guntherus historici eum metris.
18. Epicus Poeta & Historiographus quemadmodum differant.
19. An Historia inserenda diplomata integra; recessus, contractus?
Sententia Keckermanni:
20. it. Crosei.
Examen hujus,
21. Et illius sententia.
Ingens usus Historiæ cui integra documenta sunt inserta.
22. Doctrina juris civilis philosophica, Historica.
23. Libri juris civilis etsi multa historica continent:
24. Nun tamen Historiæ sunt.

§. I.

HIstoriæ nomen interdum tribuitur & doctrinæ philosophicæ, qvæ circa universalia maxime versatur; cujusmodi est Aristotelis Historia animalium; qvi & doctrinam de animâ vocat animæ historiam *lib. 1. de anima cap. 1.* Keckerman. de natura & proprietat. historiæ *part. 1. cap. 1.* Voss. Artis historicæ. *Cap. 1.*

§. 2. Magis proprie Historia definitur, vera narratio rerum singularium; tam præteritarum, qvam præsentium; qvæ ex naturalibus causis perspecta est. Nam futurarum rerum præ-

prædictio, & præteritarum pariter ac præsentium sed obscurarum explicatio, ad qvas nullum positum est in naturalium causarum consideratione præsidium, divinatio est & vaticinium. vid. Huetius Demonstrat. Evangelica *defin. IV.*

§. 3. Qvi verò ex præteritarum ac præsentium rerum cum causis suis exacta collatione de futuris probabiliter pronunciant, hoc ipsum exqvisitæ qvâ pollent illorum scientiæ negotium est ; Qvo pertinent prædictiones tàm astrologicæ v. c. eclipsium solis aut lunæ ; qvàm politicæ, v. c. seditionum, bellorum, mutationum status politici, qvo nomine M. T. Ciceronem celebrat Cornel. Nepos in vita Attici *Cap. XVI.* Et aliæ qvæ ex alterius cujusdam scientiæ vel artis habitu exqvisito qvasi divinationes procedunt: Sic qvi solida juris civilis scientia usuqve forensi pollet, ex actis judicialibus, in qvibus jura partium deducta & probationibus instructa sunt, exitum judicii incorrupti facile prævidet : Et prudens medicus è signis, qvæ in ægroto deprehendit, morbi exitum prædicere potest : Et architectus peritus ædificii minus provide constructi imminentes ruinas præsagire potest.

§. 4. Illius futurorum eventuum scientiæ fundamentum generale exponit Aristot. *II. Poster. analyt. cap. XII.* hunc in modum : *Qvæ* causa *est eorum qvæ* sunt, *eadem est eorum qvæ* fiunt, *& qvæ* facta *sunt, & qvæ* futura *sunt: Nam me-*

dium eſt cauſa. Praterqvam qvod cauſa eorum qvæ ſunt, qvod eſt; eorum qvæ fiunt, qvod fit, factorum, factum; futurorum futurum: Veluti cur facta eſt eclipſis? qvia interpoſita eſt terra; fit autem qvia interponitur; erit, qvia interponetur; & eſt, qvia interpoſitio eſt. Atqvæ ita qvæcunqve cauſa olim exiſtens certum aliqvem produxit effectum; eadem nunc exiſtens eundem effectum producit; & inpoſterum exſtitura eundem effectum producet.

§. 5. Ad res civiles fundamentum illud applicat Conring. in Epiſtola dedic. Scipionis Claramontii *de conject. cujusqve morib.* libris præmiſſa: *Futurorum fateor*; ait, *minus explorata certitudo eſt; idqve propter arbitrii humani libertatem; Veruntamen ſi certum ſit deeſſe qvæ ad efficiendum opus requiruntur, qvidni liceat certo prædicere, & actum intermiſſum iri? Si nihil eorum deficiat; qvidni poſſis ſaltim* κατ' ὑπόθεσιν, *certo actum illum polliceri? Imò qvidni tum liceat illum promittere categorice, ſaltim ea certitudine qvæ plerumqve obtinet? Enimverò qvoniam ad actum qvemvis humanum & Facultate, ut ita loqvar, & Voluntate ſit opus; atqve illa qvidem partim mere naturalibus partim artificialibus conſtet auxiliis; hæc verò ſaltim utplurimum vel corporis temperamentum, vel adſcititios mores ſectetur: Illa utiqve neceſſitatem eam habet, qvalis ſolet alias eſſe in naturalibus pariter & arte factis; Hæc rariſſime abit à ſolito: Ut proinde non poſſit non eſſe ſaltim aliqva futurorum qvoqve humanorum actuum*

actuum certitudo. Hæc Conringius. Huc pertinent qvæ leguntur apud Aristot. *II. Rhetor. cap. XIX. §. 24. Si potuit ac voluit, fecit:* πάντες γὰρ ὅταν δύνάμενοι βλησῶσι, πράτ]ουσιν. ἐμποδὼν γὰρ ὐδέν. *Omnes enim, qvando cum possint, volunt, faciunt: Namqve impedimentum nullum est.*

§. 6. Eximium hujus politicæ divinatricis usum commendat Machiavellus de Republ. *lib. 1. cap. 39.* Si qvis, *ait*, præsentes res conferat cum præteritis, & qvæ jam olim gesta sunt cum iis comparare volet qvæ subinde fieri videmus, is facile intelliget *eadem & nunc & olim vitia regnare*; Easdem cupiditates, eosdem deniqve furores hominum animos exagitare. Qvo fit ut, *qvi in Reipubl. administratione res aliqvas diligenter examinet, facile qveat de futuris providere, & futura pericula iisdem remediis avertere, qvibus veteres usi sunt; Siqvidem illa in promptu fuerint: Aut si non suppetant, de iis cogitare qveat.* Sed qvia negligitur hæc contemplatio; aut certe ab iis qvi res antiqvas legunt non intelligitur; Ab iis verò qvi Rempubl. administrant plane nescitur: Idcirco fit, ut subinde eadem incendia eademqve mala, ut olim, oriantur. Hæc Machiavellus; qvæ & exemplis ibi declarat. Sed ad Historiam revertimur.

§. 7. Historiæ ipsam qvasi essentiam in veritate rerum narratarum consistere, ut res illæ qvæ narrantur revera sic contigerint uti narrantur, apud omnes fere in confesso est:

Idqve ſupra *Cap. I. §. 7.* tanqvam extra controverſiam poſitum adduximus. In hanc rem afferri ſolet illuſtris locus apud Polybium Hiſtoriar. *lib. XII. cap. V.* ubi ex Timæo adfert comparationem regulæ ſeu normæ cum hiſtoria: *Qvemadmodum, ait Timæus, in regulis ſi qva brevior juſto fuerit, aut latitudine minus alte qvam par erat, officio regulæ proprio fungatur, nihilo ſecius regulam eſſe, & appellari eo nomine debere: Contra ſi à linea recta diſcedat, & regulæ proprietatem non ſervet, qvidvis potius qvàm regulam eſſe nominandam: Ita plane etiam in hiſtoria rem habere: Nam ſi qva fuerit ſcriptio, aut genere dictionis, aut diſpoſitionis modo, aut ulla alia re vitioſa, qvæ tamen veritatem ubiqve tueatur exacte; nihil vetat, inqvit Timæus, qvo minus etiam ſic ſcripti libri hiſtoriæ nomine afficiantur: Qvi ſi à verò aberraverint, non jam poſſe eam dici hiſtoriam.* Hæc apud Polybium interprete Caſaubono.

§. 8. Hanc normæ ſimilitudinem, veluti rei mirifice aptam, à pleriſqve probari oſtendit Ubert. Folieta libro *de ratione ſcribendæ hiſtoriæ*: Qvi tamen in Epiſtola ad Rainaldum Corſum ſcripta *de ſimilitudine normæ Polybianæ*, qvamvis Polybius eam à Timæo traditam referat, aliorum hanc ſimilitudinem minus aptam exiſtimantium rationes explicat; Sed ipſe iis haud aſſentitur: Rationes diſſentientium hæ adferuntur: *Non, qvemadmodum is qvi narrat, æqve narrat cum verum & falſum narrat*; ita regula, cujus munus eſt opus dirigere, æqve

diri-

dirigit distorta ac recta. Nam opus dirigere, qva ipsa recta non sit, nullo modo potest; qvin contra si materia per se recta adhibeatur, illam distorqvet: Qvare regula non male dirigit, sed non dirigit omnino. Fit igitur ut regula neqve vim neqve nomen obtinere possit. At qva falsum narrat historia, malè qvidem & improbè narrat; narrat tamen; qvod ad nomen & vim historiæ tuendum sufficit.

§. 9. Verum hæc ad impugnandam illam normæ cum historia comparationem allata ratio manifestam continet petitionem principii: Falsum enim plane est qvod qvaliscunqve narratio rerum singularium, à vero & falso abstracta, nomen & vim historiæ possit tueri. Rectius itaqve Polybius loco ante allegato non suam sed Timæi similitudinem à norma desumtam qvodammodo corrigit, alia similitudine allata; *Ut animal luminibus ademtis prorsus inutile redditur; ita si veritatem ex historia tollas, qvod supereſt illius, narratio est nullius usus. Sed nos duplex esse mendacii genus dicimus; unum qvod ab ignoratione veri proficiscitur, alterum qvod à certo animi proposito mentiendi. Qvi igitur per ignorationem à veritate aberrarent, his veniam esse dandam; qvi voluntate & certo proposito, ab iis capitali odio esse disſidendum.*

§. 10. Hæc Polybius: Cujus tamen illatio minus apta videtur: Nam sic debuisset concludere; Eum qvi scientia rerum & veritatis amore præditus historiam scribit, etsi in uno

alteroqve hiſtoriæ ſuæ membro nimia credulitate deceptus non ſatis comperta & erronea ſcribat, tamen hiſtoricum eſſe, ejusqve hiſtoriam nomen ſuum tueri: à potiori, ut alias fieri ſolet, facta denominatione: Illam tamen hiſtoriam ab examine hiſtoricæ veritatis cenſorum non eſſe immunem: Sed qvi, aut ignarus rerum, mentitur hiſtoriam; aut, ſciens rem aliter ſe habere, falſa pro veris narrando, poſteritatem decipere intendit, hunc nomine hiſtorici indignum inter mendaces numerandum eſſe.

§. 11. Inter prioris generis hiſtorias collocandi eſſe videntur Marci Pauli Veneti *de regionibus orientalibus libri III.* Vti patet è doctorum virorum de hoc ſcriptore judiciis editioni noviſſimæ præmiſſis; Si modo non ab impoſtore aliqvo antiqvo hiſtoria ejus mendaciis qvibusdam contaminata eſt; uti Georg. Hornius *de Origin. American. IV. 3. pag. 230.* exiſtimat. Ac ſimilis conditionis hiſtoriarum conſcriptiones aliæ qvoqve exſtant; prout infra monebitur. Sed ad præſens inſtitutum revertamur.

§. 12. Objectum hiſtoriæ cum res ſingulares, præteritas tamen aut præſentes, conſtituimus, eo ipſo rerum tùm naturalium, tùm artificialium, & aliorum qvoqve pacis aut belli negotiorum & operum hiſtoriam dari aut dari poſſe contendimus. Ad primam claſſem pertinent C. Plinii ſecundi *Naturalis hiſtoriæ libri*

libri XXXVII. Et C. Julii Solini *Polyhiſtor.* Pertinent huc Scriptores Geographicii; qvorum tàm veterum, qvàm recentiorum indicem exhibet J. C. Becmannus in *hiſtoria terrarum orbis geographica & civili cap. I.*

§. 13. Ad hiſtoriam rerum artificialium pertinent qvæ *de inventione rerum* à Polydoro Virgilio conſcripta; It. Gvidonis Panciroli *rerum memorabilium ſive deperditarum* pars prior; & *nova reperta ſive rerum memorabilium recens inventarum & veteribus incognitarum*, pars poſterior; utraqve ab Henrico Salmuth commentariis illuſtrata.

§. 14. Reliqvorum *Pacis ac belli negotiorum* atqve operum hiſtoria latiſſime patet; Illa in eccleſiaſticam & civilem commode videtur ſubdividi. Nec eam tantum intelligo hiſtoriam qvæ integro volumine nil præter res geſtas explicat, in qvo genere eminet Thucydides, Xenophon, Livius, Tacitus, noſtroqve ævo propiores Kranzius, Chytræus, & qvi magnitudine reliqvos ſuperat illuſtris Thuanus; ſed & qvæ epiſtolis, tractatibus vel ſyſtematicis vel aliis qvalibuscunqve, ſive ii Theologici ſint, ſive juridici, ſive alterius cujusdam generis, inſperguntur narrationes factorum rerumqve ſingularium deſcriptiones, hiſtoriæ nomine mihi veniunt: Qvippe & aqva non ſolummodo ea eſt, qvæ Oceano, Rheno, Albi, aliisqve fluminibus majoribus volvitur; ſed eam qvoqve,

qvæ exiguis fluitans rivulis, vaſtis regionibus interjecta eſt, aqvam eſſe confitemur.

§. 15. Inter Epiſtolas hujus generis præ ceteris eminent Ciceronis *ſexdecim Volumina Epiſtolarum ab Conſulatu ejus usqve ad extremum tempus, ad Atticum miſſarum; qvæ qvi legat, non multum deſideret hiſtoriam contextam illorum temporum. Sic enim omnia de ſtudiis Principum, vitiis ducum, mutationibus Reipubl. perſcripta ſunt, ut nihil in iis non appareat:* Ita Cornel. Nepos in Vita Attici *Cap. XVI.* Ejusdem generis complures ſunt in altero Ciceronis Opere epiſtolarum *ad familiares.* Parcius hiſtorica tractant *Plinius* & *Symmachus* in Epiſtolis; præclara tamen eſt illius ad Trajanum epiſtola de Chriſtianis: Et Symmachus in libro X. hiſtorica qvoqve nonnulla habet. Friderici II. Imp. tempora illuſtrant *Petri de Vineis* Epiſtolarum libri VI: Uti & Epiſtolæ *Philippi Melanthonis* & *Camerarii* res ſeculi poſt Chriſtum natum XVI: Et ſeqventis ſeculi XVII. res Epiſtolæ Hugonis *Grotii* & *Förſtneri.* Cum enim certo conſtet Epiſtolas illas & ſcriptas eſſe ab iis qvibus attribuuntur, & illarum auctores fuiſſe viros prudentes & graves; atqve ad pariter graves viros eas eſſe ſcriptas; qvibus illos fucum facere voluiſſe haudqvaqvam eſt credibile; Et reliqva illorum temporum hiſtoria illis haud contraria ſit: Ex omnibus his ingens accedit momentum ad fidem & veritatem eorum qvæ in iis perſcripta ſunt.

§. 16.

Digitized by Google

§. 16. Ad privatorum hominum natales, majores ac descendentes, studia ac fata declaranda pertinent qvæ illorum concionibus funebribus annecti solent *Personalia*, ut vocantur: Et hactenus fundamentum habet personalis historiæ fides: Reliqva de vitâ ab iis acta ibi instituta commemoratio utriqve legi historiæ supra *Cap. 1. §. 7. & 8.* indicatæ plerumqve haud congruit: nisi qvatenus ea complectitur qvæ publice nota sunt.

§. 17. Nec porro interest, ligatâ an solutâ oratione liber sit compositus: Nam ut Arist. lib. de Poëtica c. 9. præclarè docet; *Historicus & Poëta non eò qvòd aut cum metro dicant aut sine metro, inter se differunt: Liceret enim Herodoti historiam in metris ponere, & nihilominus esset historia qvædam cum metro, qvàm sine metris: Sed in hoc qvædam est differentia, qvod unus qvidem facta dicit: alter verò qvalia fieri debent: & poësis magis universalia, historia magis singularia dicit:* Ideoqve & Lucanus & Guntherus in Ligurino eò qvod uterqve opus suum, alter de bello civili Cæsaris & Pompeji, de Friderico I. Imperatore qvem Barbarossam vocant alter, fide historica scripserit, inter optimæ notæ historicos locum inveniunt: De Lucano vid. Voss. *de Histor. Latin. lib. 1. c. 26.* Joseph. Mascard. *de probat. concl. 287. n. 7.* de Gunthero. Voss. *d. tr. lib. 11. c. 53. & artis histor. c. 9. it. elogia Guntheri à C. Rittershusio collecta.*

§. 18. Majorem qvam ceteri cum scriptori-

bus hiſtoriarum convenientiam habere videntur Epici poëtæ, qvod veras narrationes utriqve amplectantur: Revera tamen Epicus ab hiſtoriographo differt: Diſcrimen hoc Ubertus Foliëta in epiſtola *de norma Polybiana* ſic explicat: *Hiſtoria ſcriptor rem ſimpliciter narrat, nihilque à propoſito aberrat; nihilque à ſe conſictum, aut extrinſecus delectandi cauſa petitum, quodqve à narratione alienum ſit, illiusqve ſeriem interrumpat, narrationi inſtitutæ interponit. At Epicus Poëta qvot & qvanta, Dii immortales, inchoatæ narrationi inſerit? qvas fabulas à ſe conſictas, qvot jucunda mendacia, qvæ Deorum conſilia, qvas eorundem rixas, orationes, ſtudia etiam partium, vaticinia, oracula, monita, ſpectra paſſim inculcat? ut minimam operis partem ſuſcepta narratio obtineat.* — Et paulo poſt; *Neqve verò fabulas tantummodo extrinſecus arceſſitas, qvæqve nihil ad inſtitutam hiſtoriæ narrationem pertinent, poëſi ſuæ inſerit Poëta, ſed ipſam hiſtoricam narrationem fabuloſe contexit; cum tamen veritatem hiſtoriæ non pervertat.* Hæc Foliëta.

§. 19. Uti autem Epicus Poëta veræ qvam habet narrationis fidem fabularum & varii generis ſtropharum intexturâ corrumpit; Ita *Hiſtorici diplomata, documenta, contractus & Receſſus, ut vocantur, integre de verbo ad verbum* narrationibus hiſtoricis inſerentes modum & fines hiſtoriæ videntur excedere, judice Barth. Keckermanno *Comment. de natura & proprietat. Hiſtor. cap. III.* Qvia, *ait*, Hiſtoriæ noſtræ exteris

ſcri-

ſcribuntur; exteri verò noſtra diplomata de verbo ad verbum nôſſe non cupiunt; Ideò ſufficit illa exemplaria de verbo ad verbum ſcripta manere in Archivis, nec publice recitari in Hiſtoria. In qvo qvidem non leviter peccavit, multorum judicio, in Hiſtoria Boruſſiæ Caſpar Schutzius, qvi ſuo Chronico Boruſſico inſeruit diplomata & receſſus de verbo ad verbum. Hæc Keckermannus d. l.

§. 20. Eandem fere opinionem fovet Jo. Cornandus *de la Croſe*, referente H. Meibomio *in additamentis* ad V. H. Vogleri *Introduct. in notitiam cujuscunqve generis bonorum ſcriptorum p. 176.* Et Keckermannus qvidem *ſummam diplomatum & documentorum* in Hiſtoria *breviter recitari* vult, & interdum *verba formalia* illa, in qvibus eſt magnum momentum; Croſeus vero in Hiſtoria *bonum ſenſum* reqvirit *& elegantiam*, documentis qvibus hiſtoria probatur ad finem libri rejectis. Sed huic qvidem à Meibomio abunde reſponſum eſt, allegato inter alia graviſſimo Jo. Launoji judicio, *ego*, inqvientis, *in orationis contextu refero verba ipſa, qvibus ab Regina collegium fundatur & inſtituitur, & qvibus à Pontifice collegium fundatum confirmatur, diverſa Regum diplomata, Senatus conſulta &c. --- Teſtimonia qvoqve infero, qvibus qvicqvid eſt in elogiis fidei, ſuſtentatur. In Hiſtoria non tàm qværendus eſt nitor ſermonis, qvam pondus auctoritatis.* Huc pertinent & qvæ infra *cap. IX. §. 16, 17.* in priore editione §. *7. 8.* hanc in rem à me olim dicta.

§. 21.

§. 21. Et Keckermannus qvidem ſententiam ſuam eo qvoqve nomine tuetur, qvod *documenta talia producere magis* ſit *juridicum, qvàm Hiſtoricum.* Adeo hactenus qvidem recte ſentit qvod ad uſum fori utilis ſit Hiſtoria, cui diplomata, documenta, receſſus, ad verbum inſeruntur; ad uſum verò politicum, i. e. conſilia danda ſufficiat ſummam documentorum breviter recitaſſe,; & *verba formalia illa, in qvibus eſt magnum momentum.* Qvod verò idem ait, *Hiſtorias noſtras exteris ſcribi*; non eſt ſatis dictum: Nam Hiſtoriæ noſtræ ſcribuntur & noſtræ poſteritati; cui documenta ac diplomata in Archivis occultata ſæpe detrahit aut manus invida, aut incendium, aut belli calamitas; Qvæ duo poſteriora mala ſuperioris ſeculi bello tricennali, & poſtremo Gallico pluribus qvoqve Archivis exitioſa fuerunt. Qvæ autem publice editis Hiſtoriarum monumentis inſerta ſunt ex authenticis fideliter deſcripta diplomata, Receſſus, contractus, fœderum tabulæ, tanqvam in archivum & cuſtodiam generis humani redacta, non facile poſſunt aboleri; Et poſteritati qvoqve in controverſiis arduis decidendis probationes forenſes ſuppeditant: Ad qvem uſum Keckermannus πολυμαθέστατος potius qvàm δικαστικὸς, non adeo reſpexit.

§. 22. Inter paradoxa, qvæ tamen ingenium arguunt, refero Conradi Lagi in *Juris Civilis Methodi parte* I. *cap.* 1. diviſionem doctrinæ juris

juris in duas partes ; qvarum prior , *inqvit*, *PHILOSOPHICA*, hoc eſt verum & rationes omnis juris qvantum humana mens aſſeqvi poteſt, inqvirens: Altera pars doctrinæ juris, qvam diximus præſcribere juris formas, ut eas in gerendis negotiis & puniendis delictis, tanqvam duces, ad tuendam & conſervandam ſocietatem humanam ſeqvamur, *HISTORICA* eſt. *Nam*, pergit, *in hac parte ſolùm ſpectatur qvid de qvaq; facti ſpecie conſtitutum ſit. Ac ſiqvidem in conſtitutionibus aliqva probabilis aut firma ratio, cur hoc aut illud lege ſancitum ſit, redditur, magna eſt habenda gratia legislatori, qvod ſuum conſilium in ferenda lege nobis notum eſſe voluit, rationemq; illi adjunxerit ; ut per eam tanqvam animam ſua qvadam vi vigeret, conſiſteret, & regeretur. Si verò legi non eſt adjecta ratio, tùm ſolùm conſtituentis auctoritate tamen ſubſiſtit ; ſicut hiſtoria propter ſolam narrantis fidem creditur.*

§. 23. Sic itaqve & Inſtitutiones juris civilis & Pandectæ & Codex & Novellæ Conſtitutiones fuerint legum tam à Juſtiniano *promulgatarum qvàm compoſitarum* Hiſtoria : Qvam & ipſæ Inſtitutiones præ ſe ferre videntur ; cum in prooëmio Imperator commemoret modum & rationem inſtituti ſui in compoſitione legum civilium ; ac deinceps ſæpius enarret *& qvod antea obtinebat, & qvod ex antiqvorum conſtitutionibus ipſe retinuerit* ; & qvænam ipſe nova jura conſtituerit.

§. 24. Utut autem libri illi juris civilis plurima

rima contineant ad hiſtoriam juris pertinentia; In ordine tamen, & tractandi modo, & principali argumento ab hiſtoriæ indole recedunt: Nam Inſtitutiones juris civilis formam artis præ ſe ferunt, & doctrinam continent univerſalem, ex partium diſpoſitione, harumqve in genera ac ſpecies diſtributione, ſingularumqve ſpecierum & cujuslibet ſpeciei membrorum expoſitione compoſitam. Artis qvoqve formam qvodammodo gerunt Pandectæ & Codex; nullo temporum, qvibus qvæqve conſtitutio promulgata, ſervato ordine. Solæ Conſtitutiones Novellæ temporum, qvibus qvæqve promulgata eſt, ordinem retinuerunt: Qvæ tamen non tàm ad rerum geſtarum fidem faciendam; qvàm ut futurorum negotiorum civilium normæ eſſent, compoſitæ & promulgatæ ſunt: Qvorum alterum Hiſtorici, alterum Legum-latoris officio continetur.

§. 25. Ceteroqvin & in Hiſtoriæ Scriptoribus illuſtris Angliæ Cancellarius Franc. Baco de Verulamio *Hiſtor. regni Regis Angliæ Henrici* VII. deſiderat ſummarie relatas leges maxime memorabiles, qvæ temporibus, de qvibus ſcripſerunt, perlatæ ſunt; Cum ſint *leges* revera *Acta pacis* principalia. *Etſi enim*, pergit ille, *in voluminibus legum ipſarum maxima ex parte reperiri ſoleant; neutiqvam tamen hoc tàm bene informat judicium Regum & Conſiliariorum & virorum civilium, qvàm ſi videant eas deſcriptas & veluti depictas in Tabulis Temporum.*

§. 26.

§. 26. Atqve ejusmodi ſummariam recenſionem legum Anglicanarum Hiſtoriæ ſuæ inſeruit non ſolùm illuſtris Baconus Baro de Verulamio; ſed & alii tùm ante tùm poſt ipſum Hiſtoriæ ſcriptores hujus rei fuerunt memores: Sic *Svetonius Tranqvillus* multas leges Romanas, Edicta, Senatus conſulta Hiſtoriæ Cæſarum inſeruit: Neqve hoc neglexit *Cornel. Tacitus*; Et utroqve antiqvior *Titus Livius.* Flavius Joſephus qvoqve Antiqvitatum Judaicarum libris inſeruit *Senatus* Romani *conſulta* qvædam; & plurima Romanorum Principum aliorumqve Populorum Decreta de amicitia Judæorum: vid. cumprimis *lib. XIV. cap. XVII. XIX.*

§. 27. Sed nec rerum Germanicarum Scriptores illam rem neglexerunt: Nam *Radevicus de geſtis Friderici I. Imp. lib.* II. *cap.* VII. recenſet leges qvas Imperator promulgavit *de feudis*, & *pace non violanda*: Qvas unà cum antiqvis fiſci regii juribus & *Guntherus Ligurini lib.* IIX. metris incluſas, inſigni juris publici & feudalis interpretum commodo publicavit. Johannes verò *Sleidanus* in Commentariis *de ſtatu Religionis & Reipubl. Carolo V. Cæſare* paſſim facit mentionem legum & conſtitutionum tam eccleſiaſticarum qvàm civilium, qvæ in Comitiis & Conventibus Cæſaris & Statuum Imperii, illo cujus acta ſcripſit, ſeculo promulgatæ ſunt.

§. 28. Hi tamen, & ſi qvi ſunt alii Hiſtoriæ

riæ Scriptores, legum qvæ temporibus, de qvibus scripserunt, perlatæ sunt vel summaria relatione vel nuda indicatione uti historiæ scribendæ modum ac legem haud transiêre; ita ad legum civilium exqvisitam interpretationem principia ac fundamenta suppeditârunt.

CAPUT IV.

Proponuntur rationes dubitandi de fide historicâ; & prima ratio qvâ eadem demonstratur.

1. *Ratio dubitandi. 1. ex lubrico fama, 2. ex falsitate eorum qvæ diu pro veris habita, 3. ex testim. Senecæ.*
2. *Ratio decidendi 1. ex effectu qvoniam res vetustas scimus; unde præsupponitur causa hujus scientia.*
3. *Qvibus argumentis res vetustæ doceantur.*
4. *5. Fidem historicam per famam consentientem firmari, teste Vasqvio, Guid. Papâ.*
5. *6. Famæ auctoritas in probando facto & non facto legibus confirmata.*
6. *Certitudinem haberi posse non solum ex visu, sed & ex relatione aliorum.*
7. *Probationes & argumenta interdum conjungi oportere ad fidem faciendam, interdum unam solitariam rationem satis esse scientificam.*

§. 1.

FOrtean autem dubitaverit qvispiam, num reverâ qvoqve detur aliqva fides historica: Videtur

Videtur enim omnis hiſtoria eſſe relatio vel narratio hominis: At verò relationes hominum ſœpenumero falſiſſimas eſſe, ipſa experientia ſatis demonſtrat; cùm, ut proverbio dicitur, mendacia non tantùm è civitate in civitatem, ſed etiam è domo in vicinam domum jactentur. Hoc nimirum famæ ingenium eſt; qvæ *Tam ficti, pravique tenax, qvàm nuncia veri.* Qvin earum qvoqve traditionum, qvæ per complures annos pro veris habitæ falſitatem detectam tandem fuiſſe conſtat; vid. Dn. Conring. *Cenſur. Diplom. Ludoviciani*, c. 1. Adeò ut Seneca magni nominis Philoſophus fidem hiſtoricam tanqvam vaniſſimam rem ludibrio expoſuerit, dum, *non magna*, ait, *molitione detrahenda eſt auctoritas Ephoro: hiſtoricus eſt.* Qvaſi verò vel ſolum nomen hiſtorici mendacis hominis indubitatum foret argumentum.

§. 2. Verum enim verò licet hæc & ſimilia, qvibus infra abunde reſpondebitur, interdum jactari ſoleant, illa tamen in omnes hiſtoricos qvadrare dictu abſurdiſſimum eſt: Cum fidem hiſtoricam reverà dari non ratione duntaxat, ſed qvæ rationi hac in parte non cedit, omnis generis eruditionis Antiſtitum confeſſione & unanimi ſuffragio demonſtrari qveat: Videlicet eorum qvi in aliis atqve aliis monumentis hiſtoricis veritatem certis argumentis deprehenderunt; & hujus ſuæ certitudinis teſtimonium perhibent. Et ſiqvidem non daretur hiſtorica fides, nihil determinatè ſciri poſſet eorum,

rum, qvæ aliqvot ante nos seculis gesta sunt & rebus naturalibus aliisqve acciderunt. Nulli civitatum, regnorum & Imperiorum, legum & juris conditores noti essent, nulli eruditionis & scientiarum vetusti interpretes, nullarum veterum urbium fata fortunæqve; sed qvicqvid heri hodieqve dictum factum sensibus nostris percepimus, hoc, si Diis placet, perspectum cognitumqve foret. At verò eorum, qvæ antiqvis seculis facta gestaqve, qvàm plurima nos scire profitemur; Igitur necesse est, historicâ fide, si non omnia, pleraqve saltem eorum à nobis cognosci, qvæ nostra parentumqve nostrorum memoria non attingit.

§. 3. Eqvidem non pauca vetustarum retum ex diplomatibus vetustis, qvædam & ex lapidum inscriptionibus aliisqve monumentis innotescunt; Martin. Magerus *de Advoc. arm. c. 18. n. 189. 190.* Knipschild *de fideicommiss. fam. c. 14. n. 38.* Verùm omnium horum veritas & genuinitas, si, ut fieri potest, in dubium vocetur, tùm aliis, tùm & historicæ fidei adminiculis confirmanda est; id qvod præter nonnulla alia præclarè ostendit Gloss. *c. inter dilectos. ℣. magis Xtr. de fide Instrum.* ubi qvod ex literis diplomatis doceri amplius propter vitium chartæ ex vetustate contractum non potest, alio modo probari posse dicitur, videl. *per chronicam Imperatorum ex annis domini & indictione.*

§. 4. Ipsius autem historiæ veritas ac fides, si suapte luce, qvam ei accendere seqvu. capp. annitar,

annitar, non ſatis radiet, per famam contentientem evadit manifeſta. prout Fernandus Vaſq. *Contr. illuſtr. part. 1. c. 84. n. 16.* docet, nempe *in antiqvis nullum genus probationis inveniri, prater probationem famæ*; qvia in his, ait, quorum origo memoriam excedit, *teſtes* non poſſunt rectè deponère, neqve *ſcripturæ* & *inſtrumenta publica* fidem facere; nam ſimulac inſtrumentum authenticum eſſe negetur, vix eſt ut poſſit verificari aut authenticum probari; Et *hiſtoriæ* di-„ cuntur eſſe ſcripturæ privatæ, qvæ ex antiqvi-„ tate & fama fidem aſſumere intelliguntur; „ ſicqve in tàm antiqvis qvæ vitam memoriam-„ qve hominum excedunt, ad ſolam famam o-„ mnes ſpecies probationis rediguntur.

§. 5. Ita Fernandus ille Vaſqvius; cui & accedit clariſſimi JCti Guidonis Papæ auctoritas, *qvæſt. 193.* cum Joan. Fabro ſtatuentis, qvòd *facta antiqva, qvæ excedunt memoriam hominis, probentur per communem relationem antiqvorum & per libros antiqvos, & per hiſtorias antiqvas*; qvodqve habeat talis antiqvitas vim legis & conſtitutionis; ita ut ſecundùm tales præſumtas probationes poſſit juſtè judicari, idem Guido *Conſil. 88.* diſertè concludit, auctoritate *l. 2. §. 8. ff. de aqva, & aqvæ pluviæ arcendæ*, ubi ita JCtus: *Idem Labeo ait: Cum qværitur an memoria exſtet facto opere, non diem aut Conſulem ad liqvidum exqvirendum, ſed ſufficere, ſi qvis ſciat factum: hoc eſt, ſi factum eſſe non ambigatur: nec utiqve neceſſe eſt, ſupereſſe qvi meminerint; verùm etiam, ſi qvi au-*

dierint eos, qui memoriâ tenuerint. Pari ratione memoriam operis facti non extare dicendum, *cum omnium hæc est opinio, nec audisse, nec vidisse, cum id opus fieret, neque ex eis audisse, qui vidissent aut audissent* l. 28. si arbiter ff. de Probationibus.

§. 6. Per hunc textum §. *Idem Labeo*, elegantissimè docet Innocentius *in c. fin. v. Illud autem. Xtr. de juram. cal.* & ex eo Fulv. Pacian. *de Probat. lib. 1. c. 49. n. 21. seqq.* posse nos in juramento decisorio sacramentum suscipere de veritate dicendâ, non solùm de his, qvæ certò scimus; sed etiam de his, qvæ indubitanter ab aliis accepimus: qvia *veritas est, non solùm de his, quæ quisque vidit, sed etiam de his, qvæ quis* (aliâ ratione) *indubitanter novit*; Et sicut procurator in animam constituentis cum bonâ conscientia jurat esse vera illa qvæ ab ipso constituente audivit; ita etiam nos possumus idem jurare de his, qvæ indubitanter à communi omnium opinione accepimus; *Nam*, pergit idem ex Innocentio: *Non vidi Christum Dominum nostrum crucifigi, & tamen firmiter hoc novi, it. non vidi Constantinum, nec Justinianum, aut Cæsarem Imp. & nihilominus ipsos bene novi &c.*

§. 7. Ex his omnibus manifestum est, interdum conjungi oportere omnia illa adminicula ad fidem faciendam & instruendam religionem judicantis; qvoties qvæ non prosunt singula, multa juvant: Interdum verò & singula illa sufficere ad legitimam plenamqve pro-

probationem; prout ex famâ in factis antiqvis tàm affirmativè qvàm negativè argumentum ad fidem faciendam idoneum duci jam allegati legum textus confirmant; qvos tamen de iis tantùm factis, qvæ olim notoria fuerunt, (qvalia sunt ædificium, arcem, aliudve opus publicè vel exstruere vel demoliri, exercitum cogere, alienam ditionem invadere, bellum gerere &c.) intelligendos esse gravissimi auctores rectè docent, vid. Gothofred. *ad l. 3. §. 2. ff. de Probat.* ubi Imp. Hadriani rescriptum extat, hujusmodi: *Qvæ argumenta ad qvem modum probandæ cuique rei sufficiant, nullo certo modo satis definiri potest; sicut non semper, ita sæpe sine publicis monumentis cujusque rei veritas deprehenditur; alias numerus testium, alias dignitas & auctoritas, alias veluti consentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem.*

CAPUT V.

De fama ac notorio, hujusqve differentiis & probatione; Quòdque historiæ in nonnullis inducant notorium.

1. *Fama duplex; ejus propriè sic dictæ synonyma.*
Fama in qvo differat à notorio.
2. *Qvid notorium, & qvodnam ejus objectum.*
Occultum notorio oppositum.
3. *Materia & exempla notorii.*
4. *Di-*

4. Divisio notorii, & subdivisio.
Notorium facti triplex.
5. Notorium facti quomodo per testes doceatur.
6. Compendium illius probationis.
Notorium facti antiqui & recentis, de longinquo & propinquo.
7. Quando notorium probatione egeat nec ne?
Processus in probatione notorii.
Notorium facti permanentis relevat ab onere probandi.
8. Definitur notorium facti.
9. Definitur notorium juris.
10. Explicatio dictæ definitionis.
Notorium sensûs & rationis.
Informatio super notorio facti sumenda.
11. Quomodo & objecto differant notorium facti & juris.
Non-factum potest esse notorium.
12. Notorium juris quibus argumentis & quomodo doceatur.
Notorium juris vel præsumtionis per evidentiam facti infringitur.
Res judicata inducit notorium juris.
Ex instrumentis ac testium depositione quando inducatur notorium.
13. Probationes forenses propriè sic dictæ saltem præsumtivè concludunt.
14. Notorium juris si non evidentius, saltem plenius est notorio facti.
Quadruplex status controversiæ in quo τὸ κεκριμένον verti potest.
Judicialis cognitio factî etiam qualitates debet complecti.
Jus in facto positum.
15. Qualitates facti quibus argumentis innotescant.

Qua-

Quæstio juris quomodo evadat notoria.

16. *Nova divisio notorii in minus plenum & plenum.*

Qualitas facti juridica quænam.

17. *Notorium juris interdum aeq certum esse ac notorium facti permanentis.*

Historias quoque tale notorium inducere.

18. *Fama solitaria cedit veritati historicæ.*

Opinio cedit veritati.

Conjectura infirmior fortiori.

19. *Fama cum aliis probationibus conjuncta, interdum quoque sola planè probat.*

Amplior quoque cognitio ex historiâ quàm ex famâ.

29. *Comparatio specierum notorii.*

Historia antiqua pariter ac recens certo casu inducit notorium.

§. 1.

CÆterùm fama alia est de notorio aliquo aut facto aut non facto; vid. Fulv. Pacian. *de Probat. lib. 1. c. 49. n. 6. seqq.* Mascard. *de Probat. concl. 1107. n. 23.* alia est fama conjecturis innixa de rebus factisque, quæ in aliorum oculos & sensus cùm fierent, non incurrêre: Ita enim famam à notorio rectè distinguit gravis JCtus Joh. Petrus de Ferrariis Papiensis, *tit. 5. forma posit. actor. gloss. fin. n. 3.* verba ejus hæc sunt: *Ex quo apparet, quòd communis opinio & communis æstimatio & fama sunt idem, quando procedunt ab eodem fonte; deinde subjungitur, ex suspicione proveniens;* (conjecturam voluit dicere, *quod ideo dicitur, quia actus*

manifesti, qui procedunt à visu, appellantur notorii *vel manifesti, necstant in nomine famæ.* Ita ille.

§. 2. Cùm autem semel atqve iterum mentio notorii facta sit, hujus naturam & si qvas habet species atqve causas, paucis delibare visum: Est igitur notorium idem qvod *evidentißimè notum*, ita ut nulla tergiversatione celari vel negari possit. Materiam notorii præbent personæ, res & facta; talia, qvæ in plurium indubitatam notitiam deduci possunt; tumqve illa dicuntur notoria, cùm in talem notitiam sunt deducta: Qvâ ratione mercator institorem suum notorium constituere debeat eleganter explicat Ulpian. *l. 11. §. 3. ff. de institoriâ act.* Proscribere palam, *ait*, sic accipimus, *claris literis*, unde de plano rectè legi possit, *ante tabernam* scilicet, vel ante eum locum, in qvo negotiatio exercetur, non *in loco* remoto, sed in *evidenti*: Literis utrum Græcis an Latinis? puto *secundum loci conditionem*, ne qvis causari possit ignorantiam literarum. *Ita ille.* Qvod autem in talem notitiam deduci non potest, hactenus occultum est; sin ab initio non sit deductum, posteà autem deducatur, notorium esse incipit.

§. 3. Ceterum ultro constat, (1.) qvædam esse talia, ut facilè recipiant notorium; cujus generis sunt personæ, cæteraqve corporalia, & qvæcunqve habent actum permanentem & durabilem, inqve sensus incurrere idoneum;

neum; veluti, ut Baldus ait, *candelabrum ſuper montem poſitum, circulus ante tabernam, ſcriptura pro noſtris.* Fernand. Vaſq. *Controv. illuſtr. p. 1. c. 20. n. 23.* (2.) Qvædam verò plerumqve occulta eſſe, probationem tamen recipere, licet cum aliqvâ difficultate conjunctam; cujuſmodi ſunt tractatus de maleficio perpetrando, crimen falſi, adulteria, ceteraqve lucem fugientia opera. (3.) Qvædam deniqve ita eſſe occulta, ut per ſe in ſenſus incurrere non poſſint; veluti cogitationes.

§. 4. Summa autem à Dd. tradita diviſio notorii hæc eſt, qvòd aliud ſit *notorium facti*, aliud *notorium juris.* Notorium facti reive eſt, aut (1.) *facti permanentis* ſeu *continui*; videlicet notitia ejus, qvod continet in ſe actûs continuationem, cujuſmodi eſt res vel actus aliqvandiu permanens, veluti palatium in civitate, programma publicè affixum &c. Aut verò (2) notorium *facti interrupti* ſeu *interpolati*, vel *diſcontinui*; qvod etiamſi publicè factum negari non poteſt, tamen admittit iterationem; & per vices oculis hominum ſeſe ingerit, veluti qvando qvis in loco publico habet mènſam paratam ad mutuandum ſub uſuris. Panormitan. *in c. veſtra 7. Xtr. de cohab. Cleric. n. 14.* G. Werner *Diſp. de notorio* §. 4. Aut deniqve (3.) eſt notorium *facti tranſeuntis*, qvod cum ſemel notorium evaſit, celari aut negari non poteſt, licet nullam habeat actûs ſui iterationem; e. gr. ſi qvis in publico coram populo occidatur, qvod nullam

planè in eodem ſubjecto recipit iterationem, G. Werner *l. c.* Joh. Sichard. *in auth. qui ſemel. C. qvom. & qvando &c. n. 19.*

§. 5. Cum verò notorium, facti propterea ſit notorium, qvòd in plurium oculos ſenſusqve, qvos deceptos eſſe nemo ſanus dixerit, incurrerit; hoc in ejus probatione demonſtrandum eſt, nempe rem factumqve à pluribus conſpectum vel evidenter cognitum eſſe: Perqvamcunqve enim cauſam res eſt, per eam qvoqve cognoſcitur & demonſtratur. Hîc jam diſputant Dd. qvantus teſtium numerus reqviratur ad talis notorii demonſtrationem: Et qvidem vel totius vel majoris partis populi præſentiam viſumqve vel evidentem cognitionem docendam eſſe potior eſt ſententia, per cap. *cum dilectus. 15. Xtr. de purgat. canon.* can. *ſcelus. 21. c. 2. q. 1. ℣. omnibus manifeſtum eſt.* can. *de manifeſta. 17. ibid.* Et pro conditione loci, in qvo factum dicitur notorium, major aut minor teſtium numerus eſt idoneus, v. Werner *d. l. §. 18.*

§. 6. Poteſt verò & compendium dictæ probationis fieri, ſi omnes, qvi ſimul viderunt, præſto eſſe non poſſint: Qvippe in terminis, qvod notorium etiam duobus teſtibus probetur, oſtendit Refer. *ap. Gilman. Symphor. tom. 5. l. n. 12. pag. 305. alleg. gl. inc. Deus omnipotens. §. qvando autem. verſ. judicis 2. q. 1.* Spec. *in rubr. de not. crim. n. 9. &c.* Ut autem teſtis de notorio fidem faciat, reqviritur ut dicti ſui rationem etiam non interrogatus aſſignet, idem Refer. *l. c.* p. 313.

p. 313. n. 68. Et qvidem idoneam ac concludentem, qvæ nimirum concludat certam populi ſcientiam. *n. 70.* Et omnino ratio & cauſa ſcientiæ ejuſmodi eſſe debet, qvæ eſſentiam rei comprehendat, ut puta, ut aſignetur cauſa per *proprium ſenſum congruentem*, præſentiam populi & ſcientiam; *n. 71.* adeoqve ſemper teſtis in dicti ſui ratione reddendâ debet deponere de viſu ipſius & notitia ac ſcientia certâ populi vel majoris partis. Ita ille ex Benedict. de Capra, Butr. Innoc. Maſcard. *de probat. concl. IIII.* Qvæ omnia tamen potius ad *notorium facti recentis & de propinqvo*, pertinent; cum ad notorium *facti antiqvi vel de longinqvo loco*, ſufficiat teſtimonium de ſcientia populi per auditum & famam. Maſcard. *l. c. n. 6.*

§. 7. Et omni caſu, qvoties allegatur notorietas facti momentanei & tranſeuntis, hæc, qvia negatione fit dubia, neceſſariò probanda eſt, Refer. ap. Gilman. *Symphor. tom. 5. 1. n. 64. p. 313.* alleg. gl. *in c. ad noſtram, de jurejur.* Salic. *in l. ea qvidem n. 37. de accuſat.* Novell. *in tr. crim. n. 18.* Gail. *de P. P. lib. 2. c. 3. &c.* Imò non ſolùm probari debet notorium, ſed etiam anteqvam de iſtâ qvalitate conſtet, qvod videlicet notorium ſit factum, ordo juris & plenæ probationes reqviruntur, maximè contra abſentem vel præſentem negantem; Et hoc præſertim, ſi notorium deciſionem cauſæ concerneret, non autem ordinem procedendi; Dec. *conſ. 483. n. 28.* Maſcard. *concl. 1107.* Atqve ita ad probationem

no-

notorii reqviritur, ut probatio fiat plena, ordo juris ſervetur, & pars adverſa ad videndum citetur, ut Joh. Andr. *in Addit. ad Spec.* docet, *verſ. teſtis qvoqve.* & plures à Ref. ibi allegati *n. 72.* Sed & primi illius generis notorii prima ſpecies, notorium nempe facti permanentis, cum ſeipſum oſtendat, perqve ocularem inſpectionem indubitatò cognoſcatur, probatione non indiget, ſed relevat ab onere probandi, nec probationem in contrarium recipit. Gail. *de P. P. lib. 2. c. 3. n. 17.* uti & notorium facti tranſeuntis non recipit probationem in contrarium, *c. cum dilectus. 15. Xtr. de purgatione canon.*

§. 8. Atqve ita ſe habet notorium facti: Qvod proinde deſcribitur, qvòd ſit finita & communiter indubitata probatio, probatâ immediate naturâ facti vel rei continuæ, aut interpolatæ aut momentaneæ, oculis omnium aut majoris partis ita ſe exhibens, ut nulla tergiverſatione celari poſſit, ita G. Werner *d. l.* §. *2.* cum pluribus ibi alleg.

§. 9. Notorium verò juris eſt notitia inducens probationem finitam per medium in jure, ſive ex facto judicialiter diſcuſſo, ſive aliâs notorio, à jure ſumtam, approbatam, fictam vel præſumtam. Wern. *l. c.* §. 3. Maſcard. *concl. 1108. n. 1.*

§. 10. Dicit autem *finitam*, ad differentiam probationis ſtrictè ita dictæ, & dum adhuc eſt in fieri; nam ea diſcuſſa & judicialiter finita, dicitur notorium, qvia eſt *probatio probata*: Dicit

cit porrò *per medium*, ad differentiam notorii facti, qvod se oculis hominum exhibet; cum notorium juris non nisi per medium aliqvod oriatur, sive per *rationem demonstrativam*, qvæ ad plenam fidem faciendam ex dispositione juris civilis est idonea; uti & veritatis per duos aut tres testes demonstratio jure divino comprobatur: Unde hoc forsan haud malè dici posset *notorium rationis*; prius autem illud *notorium sensus*: Nam in objecto, qvod est factum notorietatem recipere idoneum, hactenus conveniunt; in causa verò notorietatem inducente cumprimis differunt; dum alterum sensui, alterum rationi est notorium: Et illud qvidem respondet cognitioni intuitivæ; hoc autem cognitioni discursivæ per syllogismum forensem apodicticum qvæsitæ: Qvanqvam & judex, ne syndicatum incurrat, tali medio juris uti debeat ad *informationem super notorio facti*, ut vocatur, sumendam, qvoties ipsi ut judici res haud est notoria. Wern. *l. c.* §. *26.* ubi allegatur Milis & Scacc. *de judic. lib. 1. c. 76. n. 8.*

§. 11. Qvadamtenus autem objecto qvoqꝫ differunt notorium facti & juris: Illi enim subjecta sunt facta, qvæ suâ naturâ sunt talia, ut ab omnibus aut plurimis in civitate sciri possint, veluti se pro Episcopo gerere, item residentia, clerici, sermonem ad populum habere, publica nuptialis festivitas, sepultura solennis, Doctorum creatio solennis, &c. Hujusmodi qvoqve facta non contigisse, seu facta negativa, vel

non

non factum, veluti aliqvem non reſidere ſolenniter, poteſt eſſe notorium, *c. ex parte 8. Xtr. de Cleric. non reſident.* Wern. *l. c.* §. *20.* Qvæ verò facta naturâ ſuâ talia ſunt, ut non peragantur in præſentiâ totius vel majoris partis civitatis, ad notorium qvidem facti non pertinent; ſi tamen deducantur in judicium, poſſunt fieri materia notorii juris, dum per argumenta ad plenam fidem idonea legitimè docentur. Hujus generis ſunt contractus extrajudicialiter celebrati, item teſtamenta; qvæ cum primis temporibus apud Romanos in Comitiis fierent, §. *1. Inſt. de teſtam.* ad notorium facti pertinebant.

§. 12. Argumenta & rationes ex qvibus concludit ſyllogiſmus ille apodicticus, qvi notorium juris gignit, ſunt ſpecies probationis plenæ, ut in jure civili appellantur; Cùm notorium id omne dicatur, qvod judici vel per inſtrumenta & teſtes, vel per confeſſionem alicujus apparet, *c. licet cauſam. 9. Xtr. de probat.* Tabor. *Analect. ad Barboſ. lib. 12. c. 21. ax. 7.* Longè juſtiùs autem præſumtio juris & de jure hujus loci eſſe dicitur; utpote qvæ ad notorium facti qvàm proxime accedit; inqve eo convenientiam cum illo habet, qvod uti notorium facti tàm permanentis, qvàm transeuntis, ac proinde etiam facti interpolati, ita & hujusmodi præſumtio non recipiat probationem in contrarium, Maſcard. *de probat. concl. 1109. n. 3.* vide tamen de præſumtione illâ eundem Maſcard.

ſcard. *d. tr. vol. 1. q. 10. n. 51.* Alciat. *de præſumt. pr. §. in ſec. n. 6. & ſeqq.* Cum ceteræ probationum ſpecies per reprobationem, & ipſa res judicata, qvæ notorium *juris* vel *præſumtionis* inducere dicitur, Alciat. *de præſumt. in pr. §. in ſecundam.* Tabor. *Analect. ad Barboſ. lib. 17. cap. 19. ax. 21.* per notorium facti permanentis ſubvertantur: Res enim judicata, qvamvis hac in ſpecie (notorii) contineatur, & qvod ex ea conſtat, ſit evidentiſſimum, id tamen *non verè*, ſed *præſumtione legis* eſt; qvam præſumtionem notoriæ veritati (qvæ per evidentiam facti inducitur,) cedere æqviſſimum eſt, Alciat. *ad l. 33. n. 2. ff. d. V. S.* conf. eund. *l. c. de præſumt.* Ita & teſtium depoſitiones & inſtrumenta, qvando contradictionem in Judicio patiuntur, vel adverſarius contra ea opponit, notorium ſtatim inducere non poſſunt; talis enim negatio rem dubiam facit; ac tum demum ex inſtrumentis aut teſtium depoſitione notorium inducitur, qvando contra ea nil valide potuit opponi; ita Referens ap. Meichſner. *tom. 4. deciſ. Cam. 27. n. 62.*

§. 13. Qvòd autem proprie ita dictæ probationis plenæ ſpecies non habeant abſolute neceſſariam & undeqvaqve falli neſciam, ſed tantùm præſumtam veritatis declarationem, eleganter oſtendit Fernandus Vaſqvius *contr. illuſtr. part. 2. c. 36. n. 8.* Qvin imò, ait, probationes in reliqvis cauſis non concludunt neceſſariò, ſed tantùm veroſimiliter; Et nonnullis interje-

terjectis addit: Nos loqvimur de humano judicio, in qvo etiam probationibus testium & attestationibus & confessionibus partium sæpe fallimur, ut in *c. cum æterni tribunal. de sent. & re judic. in 6to. l. 1. §. final. ff. de quæstion.* Humanum tamen judicem humano more & humana ac possibili cognitione moveri convenit: unde dicebat notanter Bart. *in l. admonendi. 3. col. 4. qværo qvando*; qvod tunc dicitur plenè probari, qvando judex per ea qvæ sunt sibi ostensa, est adductus ad fidem & credulitatem ejus qvod intendit. Ita *Vasqvius.*

§. 14. Ubi autem factum aliqvod *judicialiter* discutitur, vel aliàs *qvasi in formâ judicii* plenè inqviritur, omnibusqve qvæ in contrarium afferri possunt rigidè examinatis atqve discussis ob oculos ponitur, hac ratione illud non tantùm qvoad qvæstionem AN? sed etiam qvoad qvalitates & circumstantias morales vel juridicas evadit notorium. Scilicet cum juxta doctrinam Aristot. III. *Rhet. c.* XVII, status controversiæ qvadruplex sit, ad unumqvemqve illorum, prout in hunc vel illum τὸ κεινόμενον incidit, probatio dirigenda est: *ut si non feciſſe controverſatur*, in statu conjecturali, *in judicio oportet hujus maximè demonſtrationem afferre*; *ſin verò non nociſſe*, in statu definitivo, *hujus*; *aut non tanopere*, in statu qvantitatis; *aut juſtè*, in statu qvalitatis; *non aliter ac ſi de facto controverſia eſſet*, instituenda est probatio. Et ita qvidem facti circumstantias prius oportet plenè cognitas habere,

bere, qvàm de ejus meritis ſententia feratur: Cùm enim jus in facto poſitum eſſe dicitur, non intelligitur qvodcunqve factum, ſed tale aut tale; qvod cum certis circumſtantiis & qvalitatibus legitimè demonſtratis, atqve ita judicialiter cognitum, certæ juris diſpoſitioni ſubjacet. v. *l. 38. ff. de R. V.* Nec fruſtra ad Creontem Medea apud Senecam:

Si judicas, cognoſce: *ſi regnas*, jube.

§. 15. Ejuſmodi autem qvalitates factorum nonnunqvam ex eorum circumſtantiis ſimul in ſenſus incurrentibus ſtatim innoteſcunt; veluti ſi filius patri, ſubditus magiſtratui, homo Deo maledictum ingerat: Talia etiam ſunt in qvibus mandatum ſine clauſula decerni leges Imperii jubent. v. P. Frider. Mindan. *de mandatis lib.* II. *c.* XI. Interdum verò circumſtantiæ factorum unà cum ipſo facto occultæ ſunt; & tunc ex iisdem demonſtratis ſæpenumero per conjecturas ac præſumtiones violentas facti qvalitas innoteſcit; ita ex demonſtrato præambulo apparatu homicidii, minis, conviciis, colligitur homicidium voluntarium, P. Theod. *Judicii Crim. Cap.* VII. *aph. 4. lit. d.* Qvantitas damni per ipſam rei evidentiam haud rarò deprehenditur. Qvæſtio juris, ſi de circumſtantiis facti certum jus inferentibus controverſia omnis conſopita ſit, & jus ipſum ſit extra controverſiam poſitum, per ſolam allegationem & applicationem legis ad propoſitam

facti ſpeciem pertinentis ad notorietatem deducitur.

§. 16. Nova inde conſurgit diviſio notorii in *minus-plenum*, qvod complectitur ea qvæ tantùm qvoad factum ſunt nota, non verò qvoad qvalitates; & *plenum notorium*, qvando publicè aut judicialiter notum eſt factum factiqve omnis juridica qvalitas; juridicam autem eam appello, qvæ ad certam juris diſpoſitionem facto inferendam vim ac momentum aliqvod habet. De tali notorio vid. Illuſtr. Dn. Juſt. Sinold Schütz *C.P. de Statu R. R. Vol. I. Diſp. IV. in marg. 17. lit. D. p. 195.* Tabor *anal. ad Barboſ. lib. 12. c. 21. ax. 10.*

§. 17. Qvòd verò & de rebus factisqve ſenſui amplius haud obviis mens humana certam atqve indubitatam veritatem perſpectam, cognitamqve habeat, multis exemplis doceri poteſt; videl. qvòd Alexander Magnus, Julius Cæſar, Carolus M. Carolus V. in rerum natura fuerint, qvòd multa bella geſſerint &c. Hæc & talia, qvæ ab hiſtoricis narrantur de qvondam notorio, non minori certitudine perſpecta cognitáqve habemus qvàm qvæ in præſenti oculis noſtris contuemur. Unde Joſeph Maſcard. *de probat. concluſ. 287. n. 6.* rectè concludit: *Hiſtorias in multis notorium inducere; veluti de regno Cæſaris &c.*

§. 18. Qvæ autem appellatur fama propriè dicta, ex indiciis ſignisqve veroſimilibus conſurgens de factis aut qvalitatibus factorum con-

conjectura, longè abest ab illâ certitudine, qvàm facti evidentia præstat, aut *religiosæ orationis sub testibus fides*; (qvalem & historiis incorruptâ fide conscriptis Petronius tribuit, vid. Voss. *de H. L. lib. 1. cap. 36.* ubi de Lucano agit; siqvidem sola fama præstò sit, nec aliis rerum adhuc exstantibus vestigiis adjuvetur, aut non sit undeqvaqve consentiens, sed per alias conjecturas verosimiliores destruatur. Non tantùm enim *opinio debet cedere veritati*, sed etiam *minor vero similitudo majori*, Georg. Everhard. *Vol. 1. Consil. 27. n. 10.*

§. 19. Qvanqvam autem Vasqvius loco supra allegato in antiqvis, qvæ vitam memoriamqve hominum excedunt, ad solam famam omnes species probationis redigat; hoc tamen non est intelligendum de famâ solitariâ probante, sed de fama aliis argumentis indiciisqve jam existentibus consentiente, & ita alias, qvæ antea præstò sunt, probationes suo suffragio adjuvante, ut rerum veritas sic evadat manifestior: Ita ex Dd. refert Papiens. pract. *t. 5. forma posit. act. gl. ult. n. 10.* qvòd fama solùm confirmet alias probationes factas, non autem per se faciat aliqvam probationem. Et licet in nonnullis casibus fama consentiens habeatur pro veritate, ut egregiè explicat tùm Papiens. *l. c.* tùm Ilico Umm. *Disput. ad Proceff. 18. n. 14.* hi tamen casus pauci sunt; inter qvos præcipuum locum tenent res facti antiqvi & memoriam hominum excedentes, aliiqve casus dif-

ficilis probationis, vid. Ericus Mauritius *Consil. Chilon. III. n. 19. seqq.* cùm interim ea, qvæ à religiosæ fidei historicis literarum custodiæ commendata sunt, longè ampliora esse, integrarumqve gentium & nationum res gestas posteritati cognoscendas exhibere, ipsa historicorum volumina longè lateqve loqvantur. Et ita qvidem ad inducendum notorium fama qvoqve suam confert symbolam.

§. 20. Ex qvibus omnibus manifestum est, notorii vocem designare genus qvoddam analogum, cujus primariam speciem Dd. constituunt notorium facti de qvo supra §. 4. diximus: Huic autem notorio qvoad evidentiam ac indubitatam fidem par est tùm notorium ex præsumtione juris ac de jure, qvæ qvidem revera non autem opinione talis est, ortum, tùm qvod de factis antiqvis per historias antiqvas habentes ea reqvisita qvæ ex seqq. patescent, & ab omni ævo pro veris habitas, seu aliàs etiam de factis rebusqve recentibus per famam consentientem inducitur; Atqve hujus generis est, qvod de bello in longinqvis regionibus his annis gesto consentiens ac toties confirmata traditio ac fama divulgat: Qvi enim relationes hasce in iis qvod factum ipsum belli diu jam continuati attinet, (non loqvor de singulis circumstantiis, causis, consiliis, successu,) falsi accusaverit aut dubias reputaverit, hunc profectò fungum pro cerebro habere nemo non existimaret. Pertinet huc qvod Fulv. Pacian.

Pacian. *lib. 1. de probat. cap. 49. §. 38.* tradit; *in negotiis magnis ac notabilibus, cujusmodi est mors regis, requiri famam totius civitatis.* Sed qvæ ad historicæ veritatis & fidei demonstrationem pertinent, omissis reliqvis probationum forensium speciebus, nunc altius repetito principio persequemur.

CAPUT VI.

Ulterior deductio rationum fidem historicam ostendentium.

1. *Scripturæ summa utilitas in vitâ humanâ.*
2. *Fides i. e. vis demonstrativa orationis & scripturæ virtus.*
3. *Vox habet actum momentaneum; scriptura verò permanentem.*
4. *Orationis & scripturæ fides eadem ratione demonstratur.*
5. *Quanam sint illæ rationes, ex doctrinâ S. Augustini.*
6. *Ex doctrinâ Theodoreti Aristotelis & Philonis.*
7. *Nec omni, nec nulli scripturæ fidem adhibendam esse.*
8. *Orationem & scripturam distinguit intentio proferentis.*

Scripturæ fabulosæ species. Hercules & Herculiscus, it. Argenis.

Quanam ex scripturis fabulosis tolerandæ nec ne.

9. *Quædam scripturæ tantùm ad fidem faciendam consecratæ.*
10. *Historias & Chronicos libros sub postremo hoc genere contineri.*

Species scripturarum qvæ

ad fidem faciendam componuntur.
Scriptura publica & quasi publica.
Privata scriptura species.
11. *Scripturarum, quæ dicta sunt, duplex vis est, alia dispositiva, alia demonstrativa.*
12. *Historias solam vim demonstrativam posse obtinere.*

§. I.

CAusas & qvalitates & effectus & qvicqvid pertinet ad plenam notorietatem personarum rerum atqve actionum, oratione explicari posse, extra controversiam positum arbitror: Qvicqvid verò oratione, idem & scripturâ est explicabile: Est enim scriptura character orationis; magnum naturæ in humanum genus beneficium; qvo & ad longissimè absentes & ad seram posteritatem transmittitur oratio; adeò ut, si scripturâ destitueremur, non tantùm ferè omni cognitione antiqvitatis carendum nobis esset, sed etiam eruditionis & aliorum vitæ commodorum communione maximam partem privati essemus. Frustra autem & inane foret omne illud tùm orationis tùm scripturæ bonum, si in genere humano deliberatum constitutumqve esset, nulli orationi, nulli scripturæ fidem adhibere; tunc enim oratione & scripturâ doceri ac demonstrari nihil posset: qvippe illud, per qvod demonstramus ac docemus, ipsum prius debet esse fide dignum.

§. 2.

Digitized by Google

§. 2. Cùm verò orationem præclarum naturæ bonum esse omnes sani fateantur, necesse est, ex hac confessione eam qvoqve illâ vi præditam esse oportere, absqve qvâ finem suum obtinere non potest: Et illa qvidem vis est fides, prout hanc vocem supra *c. 11. §. 12.* ad orationem externam referri ostendimus; hoc est illud medium, per qvod oratio naturale suum munus exeqvitur.

§. 3. At cùm orationem dicimus, tàm eam, qvæ ore profertur, qvàm qvæ scriptura exprimitur, intelligi volumus: Qvanqvam enim scriptura arte humana fiat, ars tamen naturam ita optimè imitatur, eiqve insignem per scripturam perfectionem largitur; dum qvæ vox natura sua est discontinua, (qvis enim per totam vitam suam vocem continuam emittere potis est?) per scripturam continua, & qvamdiu chartæ & literæ durant, perpetua evadit: unde dicimus:

Vox emissa volat, litera scripta manet.

Item *scriptura est perpetua, semper manet, semper loqvitur*, Gail. *2. Obs. 104. n. 3.* ex Zas. *ad l. cum lex; 22. n. 11. ff. de leg.* it. *scriptura habet actum permanentem*, Bald. à Gail. alleg. *l. c. n. 4.*

§. 4. Et hactenus scriptura atqve oratio rationes conjunctas habent, ut qvi unius fidem in totum destruit, non possit non & alteram simul infirmare: Qvacunqve autem ratione unius fides stabilitur, eadem & alteri vindicatur auctoritas: & uti nemo existiman-

Digitized by Google

dus est dixisse, qvod non mente agitaverit, *l. 7. §. 2. ff. de supell. leg.* sic nemo censendus est scripsisse, qvod non idem, si non dicturus fuerit, saltem in animo non habuerit: Nam uti vox est nota passionum in anima; sic & qvæ scribuntur sunt notæ eorum, qvæ in voce, Arist. *de interpret. c. 1.* Qvòd verò interdum proniores sint homines ad aliqvid literis & scripturâ, qvàm lingua & voce exprimendum, inde est, qvod epistola non erubescit.

§. 5. Ceterùm qvas ob causas homines hominum orationi debeant fidem adhibere, licet eorum, qvæ dicuntur veritatem oculis haud contueantur, præclarè demonstrat S. Augustinus *lib. de utilitate credendi cap.* XII. Multa, ait, possunt afferri, qvibus ostendatur, *nihil omnino humanæ societatis incolume remanere, si nihil credere statuerimus, qvod non possumus tenere perceptum.* Idem *de fide rerum invisibilium c. 2.* ait, si auferatur hîc fides de rebus humanis, qvis non attendat, qvanta earum perturbatio, & qvàm horrenda confusio subseqvatur? Qvis enim mutua charitate diligetur ab aliqvo, cùm sit invisibilis ipsa dilectio, si qvod non video, credere non debeo. Tota itaqve peribit amicitia, qvia non nisi amore constat. Qvid enim ejus poterit ab aliqvo recipere, si nihil ejus creditum fuit exhiberi? Porrò amicitiâ pereunte, nec connubiorum, neqve cognationum & affinitatum vincula in animo servabuntur; qvia & in his utiqve amica consensio est. Qvid jam de

de ceteris neceſſitudinibus dicam, fratrum ſororum, generorum atqve ſocerorum, & qvalibet conſanguinitate & affinitate junctorum, ſi charitas incerta, voluntasqve ſuſpecta eſt, & filiis parentum & parentibus filiorum, dum benevolentia non redditur debita, qvia nec deberi putatur, qvando in alio, qvod non videtur, eſſe non creditur? *Usqve adeo res humanæ perturbantur, ſi qvod non videmus, non credamus; ut omnia funditus evertantur, ſi nullas credamus hominum voluntates, qvas utiqve videre non poſſumus.* Omitto dicere, *qvàm multa* illi, qvi nos reprehendunt, qvia credimus qvæ non videmus, *credant famæ & hiſtoriæ*, vel de locis, ubi ipſi non fuerunt; nec dicant, non credimus, qvia non vidimus. Hæc à S. Auguſtino non de fide Chriſtiana, ut Scepticus vult, ſed de fide humana qva ſocietates humanæ conſervantur, ſapientiſſimè dicta per compendium refert, qvoqve Melchior Canus, doctiſſimus Canarienſium Epiſcopus *locor. Theol. lib. XI. c. IV.*

§. 6. Idem verò & ex Theodoreto oſtendit, fidem eſſe ceu primariam baſin diſciplinarumqve omnium crepidinem: In qvo conſentientem habet Ariſtotelem, qvi *lib. de Soph. Elench. c. 2. diſcentem*, ait, *oportet credere*: Difficile enim eſt, pergit Philo *lib. de præm. & pœn.* eandem ſententiam repetens, imò potiùs *fieri non poteſt, ut erudiatur is, qvi docenti non credit.* Qva ex re factum, *ſubjungit Canus l. c.* ut naturæ auctor in hominum mentibus inclinationem

ad credendum naturalem impreſſerit; Et hanc qvidem ad fines & perfectiones neceſſarias, vitæ & eruditionis cultum. Qvamobrem, *concludit idem*, qvi humanam fidem ex hominum animis evellere conantur, ii non ſolum ſtulti ſunt, ſed gigantum more cum Diis bellant, hoc eſt, cum natura pugnant. An verò qvicqvam tàm puerile & ſtultum dici poteſt, qvàm ſi ea, qvæ viderunt alii, negemus eſſe, qvia ipſi non videmus? Ita illi: Qvorum auctoritatem Scepticus fruſtra deprecatur; Cum ii nihil pro auctoritate ſua ſtatuant; ſed hoc tantum pronuncient, qvod in ipſa intellectus humani natura occurrit. Qvi enim jamprimum erudiri incipiunt, qvia nondum eo pollent judicio ut rationum momenta poſſint expendere, tamdiu fidem habere debent iis qvæ à docente traduntur, donec ſuo poſſint uti judicio, & rationum ac demonſtrationum vim perſpiciant.

§. 7. Iſta verò qvæ de neceſſitate credendi dicta, non eum habent ſenſum, qvòd unicuiqve vel orationi vel ſcripturæ debeamus fidem adhibere; tali enim homine nihil foret ineptius, qvi omnia illa, qvæ vel dicuntur vel ſcribuntur, velut ex tripode dicta, pro veris agnoſcere velit: Ejuſmodi tamen hominem ſua ætate extitiſſe ſcribit Melch. Canus *d. lib. XI. c. VI. p. 539.* cui perſvaſiſſimum fuerit nihil omnino eſſe falſum, qvod ſemel typis fuiſſet excuſum. Sic ſanè,

Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.

§. 8. Enimverò uti animus ac intentio ceteros

teros actus voluntarios, sic & orationem & scripturam distinguunt; semperqve advertendum est, qva intentione aliqvid dictum scriptumqve sit. Sed cum intentio illa sit actus mentis internus, neqve per se in alterius notitiam incurrens, ex signis minimè fallentibus ea investigari debet. Atqve ut de oratione & scriptura tantùm dicamus; nonnunqvam dicentis vel scribentis intentio ex ipsa oratione vel scriptura statim innotescit, veluti in fabulis, qvibus brutis animantibus actiones humanæ affinguntur; interdum verò saltem peritis illa patet intentio, ut cum fabulæ ad similitudinem historiæ conscribuntur, dum personis confictis affinguntur actiones & res gestæ, è qvo genere est notus ille *Hercules* & *Herculiscus:* Aut dum res verè gestæ cum fictis miscentur, personæqve pariter nunc veræ nunc fictæ, omnes tamen confictis nominibus describuntur, qvò pertinet ingeniosissima *Argenis.* Et tales qvidem scriptores poëticam atqve pictoriam sibi sumunt licentiam; extra justam reprehensionem positam, si fabulis suis moralem civilemqve prudentiam animis mortalium molliùs insinuent; execrandi verò, qvi talia qvæ ad corruptelam morum pertinent, comminiscuntur.

§. 9. At verò qvædam orationum & scripturæ genera omni divino & humano jure soli veritati declarandæ consecrata sunt; historiæ nimirum & scripturæ, qvales ad negotiorum fidem in judicio faciendam componi solent; in qvi-

qvibus proinde fraudulentum est taliuu suppositione aliis imponere. Et harum qvoqve scripturarum errata, licet per imperitiam orta vehementer noxia sunt; qvod usu rerum peritis notum est.

§. 10. Cùm autem & historiæ antiqvæ libriqve chronici & genealogici in judicio soleant allegari, ubi qvæstio facti antiqvi movetur: Et verò omnis scriptura, qvæ in judicio ad fidem rerum faciendam producitur, alia qvidem est verè vel qvasi publica, alia est privata. Verè publica est, qvam vel ipse Magistratus qvà talis conficit, vel qvæ in ipsius præsentia conficitur. Ilic. Umm. *Disp. ad proc. 17. n. 4.* De his intelligi solet textus *l. 10. ff. de probationibus.* Census & monumenta publica potiora testibus esse, Senatus censuit. Species hujus scripturæ publicæ refert Ilico Umm. *l. c. §. 2. n. 7. 8. 9. 10.* Acta judicialia, libros censuales, & similes scripturas ex archivo depromtas, *vid. ibi n. 7.* & *Felin. in c. ad audientiam Xtr. de præscript.* aut publico sigillo signatas, *Umm. d. l. n. 16.* & deniqve privilegia, *n. 11.* Qvasi publica scriptura est instrumentum à Notario legitimè confectum, de qvo Umm. *l. c. §. 3.* Hujusmodi scripturæ, qvamvis etiam dicantur publicè confectæ, scilicet per Notarium, qvi voluntariam habet jurisdictionem; à prioribus tamen illis sat apertè distinguuntur in Novell. *73. c. 7. §. 3.* ubi cum de instrumento Notarii ejusqve examine multa disposuisset, scrupulosam veritatis

tatis ſcripturæ indagationem complectentia, hæc adjungit: *A qvibus* (ſcrupuloſo examine ſcripturæ) *licebit ſeſe liberare contrahentibus, ſi ambo conſenſerint efficere contractum* (ἐμφανῆ ποιεῖσθαι τὰ συμβόλαια) *eundemqve actis inſinuari curare; ut ita liberentur neqvitiâ & falſitate & ſimulationibus &c.* Hac nimirum ratione ſcriptura de negotio privato confecta evadit publica, ſi libro civitatis vel Præfecturæ publico inſinuetur; unde partibus dari ſolet publico ſigillo, & vel Magiſtratûs ipſius vel ejusdem Officialis ſubſcriptione munita & confirmata copia, vid. Umm. *d. diſp. 17. n. 10.* Schurff. *Vol. 1. Conſ. 7.* ubi ait: Clarum eſt, qvòd hodie ex communi obſervantia & conſvetudine in Alemanniâ *ſigilla Ducum, Marchionum &c. ſunt authentica*, ideò iisdem fides adhibetur in præjudicium aliorum. Privatæ autem ſcripturæ tria Dd. conſtituunt genera; primum eſt, qvod habet tres vel plures teſtes; & hujusmodi ſcripturæ qvaſi publicè conſcriptæ ſuum robur habent, *l. 11. Scripturas C. qvi pot. in pignore.* Novell. *73. c. 2.* Umm. *l. c. n. 17.* Secundum genus eſt, qvod *duos* tantùm *teſtes* habet: Tertium, qvod *nullos teſtes* habet; Et hujus variæ ſunt ſpecies, qvas prolixè explicat Nic. de Paſſeribus à Janua *tr. de ſcripturâ privata.*

§. 11. Obſervandum verò eſt, unamqvamqve ſcripturam, qvæ continet ſive mandatum ſuperioris ad inferiores, ſive conventionem inter æqvales, dummodo contrahentium voluntate

tate conſcripta ſit, qvæ vocatur ſyngrapha; ſive actum ultimæ voluntatis ritè ordinatum contineat, duplicem vim habere, qvarum prior eſt demonſtrativa, poſterior diſpoſitiva : Et prior qvidem illa ineſt omni ſcripturæ enunciativæ, cujus auctor doceri poteſt, qvamvis ad diſpoſitionem aliqvam haud ſit confecta; minimum enim probat aliqvid contra ſcribentem: Imò teſtamenta & ſcripturæ contractuum, licet ob defectum formalem vi diſpoſitivâ deſtituantur, vim tamen demonſtrativam retinere videntur; ita ut ex iis doceri poſſit, actum illum inutiliter, interdum etiam turpiter geſtum eſſe; veluti ſi Notarius inſtrumentum confecerit contractûs vetiti, *l. 14. §. 3. C. de SS. Eccleſ.* Hoc enim licet vim diſpoſitivam non habeat, ob nullitatem contractus; rem tamen, qvanqvam nulliter geſtam, ſatis ſuperqve demonſtrat. Qvasdam etiam incerrorum auctorum ſcripturas vim demonſtrandi habere infra patebit.

§. 12. Hiſtoriæ autem, qua tales, ſolam vim demonſtrativam obtinere poſſunt; neqve enim alio fine conſcribuntur, niſi ut memoriam rei conſervent. Qvippe ad diſpoſitionem non ſolum reqviritur ſcientia ſed etiam poteſtas; Qvamobrem non niſi ad probandum adduci poteſt hiſtoriarum dictum, Sebaſt. Medic. *de leg. & ſtatut. p. 2. q. 12. n. 5.* Et Nic. Everhard. à Middelb. *loc. XCV. n. 9.* Qvædam, ait, ſunt *ſcripturæ enunciativæ, narrativæ*, vel *recitativæ geſtorum*, ut ſunt libri hiſtoriales, Chronicæ & ſimi-

les;

les; Et talibus si à nostris majoribus creditum videmus, nos etiam credere debemus, sicut aliis scripturis antiqvis: De qvo plenè per Pan. Fel. *& alios Canonistas in c. cum causam. de probat. & per* Bart. *& Dd. in l. 1. ff. si cert. pet. &c.* Qvædam autem sunt *scripturæ*, qvæ *procedunt disponendo & determinando*, non autem enunciando solùm &c. *Ita ille.*

CAPUT VII.

Historiæ & libri Chronici num scripturis publicis an verò privatis annumerari debeant: Et Jure Consultorum de fide historicâ sententiæ.

1. *Historias esse scripturas privatas, juxta sententiam Vasq. & G. Everhardi.*

Definitio scripturæ privatæ.

2. *Straccha apud Gylman. erroneè citatus.*

Qualis liber mercatoris sit fide dignus.

3. *Quosdam historicos libros esse scripturas publicas.*

4. *Potestas & voluntas disponentis modificant vim scripturæ dispositivam.*

Clausula, salvo jure tertii.

5. *Scripturæ, & in specie historiæ vis demonstrativa unde.*

6. 7. *Qvinam libri historici sint scripturæ publicæ.*

6. *Doctori de consvetudine testanti qvando credendum.*

7. 8. *Historia ut scriptura publica fiat, non tot eget cante-*

cautelis, quot indiget scriptura negotii privatim peracti.

9. De fide historica sententiæ Dd.

10. Eadem sententias in Judicio Camerali receptas & approbatas esse.

11. 12. Historia fidem in individuo confirmatur; (1) ex diuturna certi auctoris approbatione.

13. (2) Ex custodiâ publicâ libri historici.

14. (3) Ex plurium Scriptorum conformi nec suspecta traditione.

15. Historias saltem antiquas & in factis antiquis vim probandi habere.

Quidnam dicatur antiquum in materiâ probationis.

16. Antiquum videri cujus origo memoriam viventium excedit.

Libros historiarum continere probationem quandam extraordinariam.

17. Historias facti recentis in judiciis vim probandi non obtinere.

17. 18. An & quenam historia factorum recentium vim probandi habeat.

Quantam vim probandi habeant monumenta historica.

De Actorum publicorum collectione Londorpiana.

De Diario Europeo.

19. Historiarum libros non nisi judicialiter productos & legitimè examinatos posse vim probandi obtinere.

Quod contra historiæ vel chronici libri testimonium probatio in contrarium suscipi queat.

Exemplo illud ostenditur.

Quo argumento contra testimonium historicum probatio in contrarium expediatur.

20. Qua ratione inter diversas diversorum historiæ

ſtoricorum traditiones probabiliorem venari oporteat.
21. *Exempla diverſarum apud diverſos Scriptores traditionum.*
De donatione Conſtantini.
De translatione Imperii Rom. in Carolum M.
De Johanne Papiſſa.
De Friderico Barbaroſſ. Imp.
22. *Hiſtoricis probatis & probatioribus tamdiu ſtandum, donec probetur contrarium.*

§. 1.

VIſis ſcripturarum, qvæ ad fidem rerum faciendam componuntur, generibus, paucis oſtendendum eſt, ſub qvo genere contineatur hiſtoria vel chronicon. Et expenſis qvidem omnibus qvæ ad eſſentiam ſcripturæ publicæ reqviri proximo capite oſtendimus, conſentiendum videtur Fern. Vasqvio ſtatuenti, *hiſtorias eſſe ſcripturas privatas*; Nam & hiſtorias ac chronologias *privata manu congeri* tradit Georg. Everhard. *vol. 1. Conſ. 27. n. 9.* Privata qvippe ſcriptura eſt, qvæ à privato eſt confecta, nec habet adminiculum authentici ſigilli, nec adminiculum teſtium, Joh. Sichard. *ad Rubr. C. de fide inſtrumentorum n. 12.*

§. 2. Qvod autem apud Adr. Gylmann. Symphor. Tom. 1. part. 2. tit. XI. vot. 4. p. 238. n. 8. tanqvam ex Benven. Stracchа refertur, *hiſtoriis, ſcripturis, foliis ſeu chartulis non credi, licet aliis libris mercatorum ſive teſtibus credatur,*

erroneè ex memorato auctore descriptum est; Is enim historiarum nullâ mentione facta, alleg. loco np. *tr. de mercatura, part. 2. n. 59. p. 74.* qvam & Gylmannus allegat, de libro mercatoris sic ait: *Codicem ipsum de more factum oportet, nec enim perfunctoriis scripturis, foliis seu exchartabulis* (videtur innuere *eine Schreibtafel*) *est habenda fides, sed ipsis Codicibus solenniter, & proborum mercatorum more confectis: In qvo loci consvetudinem spectandum puto.* Hactenus itaqve Straccha qvidem nihil ad historias pertinens. Conf. Fulv. Pac. *de probat. lib. 1. c. 63.*

§. 3. Sed tamen omnia in universum monumenta historica indistinctè scripturis privatis cum Vasqvio annumerare haud possumus: Qvod si enim scriptura publica est, qvæ publica auctoritate aut confecta, aut confirmata, publicove sigillo corroborata est; necesse est, si qva historia tali auctoritate munita extat, hanc publicis monumentis hactenus annumerandam esse.

§. 4. Videtur autem omnis illa publicæ scripturæ auctoritas ita suo respondere principio, ut vis qvidem dispositiva, si qvam scriptura habet, tantum in iis locum inveniat, qvæ potestati disponentium subjecta, & de qvibus in præsenti placuit disponere; id qvod etiam innui solet per clausulam scripturæ publicâ auctoritate munitæ in ejus confirmatione adjectam, *salvo jure tertii*; qvæ licet omissa sit, *jus* tamen *tertii* semper *in omni actu censetur esse re-*

se reservatum, c. 8. *de rescriptis in Vto.* Tabor *analect. lib. 18. c. 18. ax. 2.*

§. 5. Sed vis demonstrativa, qvæ alicui scripturæ inest, in scriptoris scientiâ de rei qvam scribit veritate & voluntate vera scribendi suum agnoscit principium & causam procreantem: Atqve uti dictum testis tum demum fidem invenit, si testis causam scientiæ suæ aperuerit, Umm. *Disput. ad Proc. 16. §. XI. n. 81. 84. 85.* Eodem modo ut historia vel chronicon fide dignum sit, constare debet, scriptorem habuisse & scientiam eorum, qvæ scripsit, & voluntatem rei non aliter, qvàm uti gesta est, exponendæ: Atqve in hoc vertitur cardo fidei historicæ.

§. 6. Publica autem auctoritas, uti cuilibet scripturæ, ita historico qvoqve monumento ad fidem ingens pondus addit, maximè in commemoratione rerum illius ævi, qvo historia publicâ auctoritate conscripta est; Talia enim tum publicâ confessione comprobata, ab ipsis, qvi comprobârunt, eorumve posteris negari haud possunt: Sed hoc ita intelligi volo, si civitas vel Princeps acta sua, qvæ ejusmodi sunt ut ex iis nullum vicinis creetur præjudicium, in modum historiæ vel annalium componi memoriæqve tradi mandet, & historiam recognitam publicari vel jubeat vel permittat. Idem obtinet, qvando aliqvi monachi vel fratres deputati essent à capitulo ad scribendum negotia ipsius monasterii: Va-

laſc. *conſult. 10. n. 1. alleg. à* Nic. de Paſſer. *de Script. priv. addit. ad lib. 5. pr.* Verùm talis hiſtoria, ſi vicinæ qvoqve Reipublicæ vel univerſitatis res geſtas & jura ſimul attingat, contra eam non habet vim probandi; niſi qvando eandem cognitam vicini publicè non improbârunt. Qvanqvam iis qvi fortioribus argumentis jura ſua docere poſſunt, ſecurè liceat contemnere ſcripturas extraneorum; cùm juxta tradita Gilken *ad l. 15. C. de pactis, n. 87. 88.* abſurdum videatur Græco homini de moribus provinciarum occidentis qvidqvam teſtanti fidem accommodari; uti & aliàs, juxta communem & receptam eruditorum ſententiam nemini niſi de provinciæ ſuæ conſvetudine teſtanti fides adhibenda eſt, Gilken, *l. c.* Joh. Dilect. Durant. *de art. teſt. & cautel. ult. vol. tit. 5. caut. 35. n. 3.*

§. 7. At verò licet doceri non poſſit, hiſtoriam aliquam publicâ auctoritate conſcriptam eſſe; ex Reipublicæ tamen vel Principis, cujus geſta præcipuè illa deſcribit, approbatione fides publica eidem accedit. In privatorum negotiorum documentis publicâ fide muniendis opus eſt vel ut ſcriptura actis inſinuetur, vel ut publicum ſigillum ei imprimatur; hæ enim ſcripturæ in occulto ſervantur, ac non niſi urgente neceſſitate in judicio producuntur; quare cum per illam ſui occultationem, dum paucorum ſcientiam & conſcientiam tenent, facilius poſſint adulterari & corrumpi, quàm quæ plurium

rium oculis sunt obvia, majore etiam cautione ad earum genuinitatem demonstrandam opus est; quippe ubi periculum majus intenditur, ibi procul dubio plenius est consulendum, *c. 3. de elect. in 6to.*

§. 8. Sed libri historiarum & chronicorum publicè editi, si absque contradictione & censurâ correctoriâ manibus hominum volvi sinantur, eo ipso censentur publicam fidem adipisci. Egregie hoc ostendit eximius JCtus Aymo Cravett. *tr. de antiquit. tempor. p. 1. §. 10. octava datur limitatio n. 12.* Scriptura privata, ait, facta in lapidibus aut columnis, fidem plenam facit in antiquis; Et sic, qvando talis scriptura privata est in loco publico & manifesto, in antiqvis plenè probat: *gl. in c. cum causam. Xtr. de probationibus, per t. in c. sane q. 11.* Item *l. c. n. 14. 15.* ratio, ait, diversitatis inter talem scripturam privatam incisam in lapidibus aut columnis & alias scripturas est, qvia *talis scriptura in lapidibus aut columnis publicè omnibus apparet & inducit notorium*, ut dicunt Bart. & Bald. *in d. l. monumentorum.* Calca *in Cons 99.* Ob id *imputandum videtur ei de cujus præjudicio agitur, cur non contradixerit.* Et sine dubio probant tales literæ incisæ in lapidibus aut columnis etiam in factis recentibus, qvando non agitur de præjudicio tertii, puta qvod ecclesia fuerit consecrata. Innoc. *in rubr. de consecrat. Eccles. vel altar.* Idem qvando agitur de præjudicio tertii, non tamen magno, prout in qvæstione confinium, *gl. in d.*

ea cum cauſam. Geminia. *in Conſ. 100.* Hactenus Cravetta. Quæ omnia ob rationis identitatem in libris hiſtoricis & chronicorum publice editis qvoqve obtinent, ſive per complura mss. ſive per typos ſint publicati.

§. 9. Huc reſpexiſſe videntur legum & canonum recentes pariter & vetuſti interpretes, & qvotqvot vel conſiliis vel deciſionibus vel commentariis ſcientiam juris civilis & canonici illuſtrârunt; dum unanimi ſuffragio docent, Scripturis hiſtoriarum, chronicorum & annalium regulariter fidem adhibendam eſſe, ſi ab antiqvo communiter iis creditum ſit, eorumqve monumenta propter vetuſtatem omnium populorum & judicantium approbatione fidei & veritatis teſtimonium meruerint; ita Mart. Magerus à *Schönberg de advoc. arm. c. 18. n. 193.* pluribus in eandem ſententiam allegatis: Conſentit ei Menoch. *Conſ. 112. n. 68. 69. 70.* qui Pariſium Deciumqve idem ſentientes affert: idem Menoch. *Conſ. 378. n. 8.* ubi Johannis Simonetæ & Bernardini Corii hiſtorias laudat, & *Conſ. 701. n. 8.* ubi laudat M. Anton. Sabellicum. & Donati Boſſii Chronicam, ut inſcripſit, Boſſianam, qvâ is non tantûm annuatim, ſed & dietim annotaverit res Mediolanenſium. Sed idem qvoqve ſentit Joach. Cluten. *Syllog. rerum qvotid. §. 6. lit. c.* & Udalr. Zaſius *lib. 2. Conſ. 16. n. 1.* Hiſtoriæ non reprobatæ, ait, in factis antiqvis fidem faciunt; & noviſſ. H. Michaëlis *Reſponſ. Chilon. XIV. p. 84, 85.* ubi Kranzii auctoritatem defen-

defendit; eiqve uni à Joh. Köppen *Sen. Conſ. 1. n. 9.* teſtimonium veritatis aſſertum dicit.

§. 10. Sed & in illuſtri Imperii judicio Camerali Dnn. Referentes cenſuerunt, libris hiſtoriarum & chronicis qvibus à majoribus ſemper fides adhibita fuit, credendum eſſe. Gylm. *Symphor. Tom. 1. p. 1. tit. 7. vot. 3. n. 13. p. 456.* Et Tom. *1. p. 2. tit. 8. vot. 8. n. 18. p. 161.* idem iisdem verbis reperitur. Per omnia huic conſentit Referens ap. Kiock *Votor. Camer al. Relat. LXXII. in cauſa Trier contra Trier. n. 29.* Libros sutem hiſtoriarum, *ait*, item ſcripturas & picturas lapidibus inciſas etiam plenam fidem facere, communi Dd. calculo receptum eſt, per text. eleg. *in c. ad audientiam 13. Xtr. de præſcript.* Conf. Tilem. de Benign. *Syntagm. decad. 2. V. 1. n. 37.* Sic. & in Sentent. Cameral. à Seilero & Barth. editis, vol. 1. ſub. anno 1512. p 347. in cauſa Epiſcopi Y. contra *Stadt* Y. decretum legimus: *In Sachen der* peremtorial *Articul, ſind auff den furtrag den von Y. Brieffe, Chronick, und andere* monumenta *nechſt Gerichts darfur einbracht, denſelben von Y. vvieder hinaus zu geben erkandt.*

§. 11. Atqve ita qvidem libris hiſtoricis & chronicis tribuitur fides, ſi longiſſimo tempore fuerint approbati; Sic enim cum prædictis auctoribus cenſent Maſcard. *concluſ. 287. n. 10.* & Dd. commun. *adl. ff. ficert. petatur.* Qvæ mens illis qvoqve fuiſſe videtur, qvi hiſtoriis & chronicis credendum eſſe docuerunt. vid. Nicol. de Paſſerib. *deſcriptura privata lib. 5. tit. de*

libris Chronicorum. Et in addit. ad *d. lib. 5. tit. de libris Annalium*, ubi Petri de Caball. *Conſ. 95. n. 16. in 2.* hanc in rem allegat. Conſ. Virgil. Pingiz. Conſ. *in materia ſimultan. inveſtit. n. 12.* inter Conſilia & Reſponſa Juris varia à Dn. A. Fritſchio edita, *Conſ. XXVI.* it. Phil. Knipſchild *tr. de Fideicom. fam. Nob. c. XIV. n. 37.* ubi S. Scripturæ jurisque tam Canonici qvàm Civilis textibus hiſtoricam fidem confirmare nititur.

§. 12. Et prædicto caſu libris hiſtoricis accedit fides ex comprobatione univerſali, dum liber plurium intelligentium manibus diu tritus, falſi nec à qvopiam accuſatus, nec convictus. Idqve multò magis obtinet, ſi hiſtoria conſcripta publicè edatur ſpirantibus iis, qui rebus interfuerunt, & tamen à nemine falſi convincatur: quo argumento Bodinus Thucydidis hiſtoriam fide dignam eſſe oſtendit, Method. hiſtor. *c. IV.* Sed mendacii convictum eſſe oportet Hiſtoriæ ſcriptorem ut fides ejus ſubleſta habeatur: *Qvis enim innocens erit ſi accuſaſſe ſuffecerit.* Unde merito contemnuntur ea qvæ adverſus Jo. Sleidani commentarios, & Jac. Aug. Thuani Hiſtoriarum libros jactata eſſe refert Jo. Limnæus *Tom. 1. addition. ad I. P. lib. 1. cap. 3. n. 9.*

§. 13. Quamvis autem in ejusmodi publicam notitiam liber hiſtoricus vel chronicon haud pervenerit, alia tamen qvoqve ratione fides ei poteſt accedere; Id qvod malo declara-

re

re verbis Felini Sandei, *ad c. ex parte Xtr. de rescript. n. 49.* ubi docet: Chronicos libros in factis antiqvis plenè probare; dummodo ab antiqvo talibus chronicis fuerit adhibita fides; vel qvando chronica fuit custodita in loco publico, & à personâ publica. conf. idem Felin. *in c. inter dilectos n. 12. Xtr. de fide instrum.* ubi ait: *Chronicis creditur etiam in judicio &c.* Pari modo & alia qvæ ex publicis archivis profertur scriptura & publicum habet testimonium, fide digna est, per Nov. *49. c. 2. §. 2.* junct. Ilic. Umm. *Disp. 17. n. 7.*

§. 14. Porro si historicus alios scriptores ejusdem rei insciis contestes habeat, potentissimam veritatis demonstrationem continere censendus est; dummodo possit doceri omnibus iis potuisse cognita esse ea qvæ scripserunt. vid. Hug. Grotius de Verit. Relig. Christ. *lib. 3. §. 5.* Et à Dn. Schütz C. P. de stat. R. R. *Vol. I Disp. 2. §. 6. lit. B.* adstruitur; in historiis cumprimis verum esse, qvod scribit Hugo Grot. *de I. B. & Pac. lib. 1. c. 1. §. 12.* ex Arist. *Potentissima probatio est, si in id, qvod dicimus, omnes fide digniores consentiant.* Consentit Melch. Canus *loc. Theol. libr. XI. c. 4. concl. 3.* Si omnes, ait, probati ac graves historici in eandem rem gestam concurrant, tum ex horum auctoritate certum argumentum promitur.

§. 15. Cùm verò qvæ §. *9. 10. 11.* allegatæ sunt de fide historicâ JCtorum sententiæ, saltem de rebus facti antiqvi loqvantur, expo-

nendum qvoqve eſt, qvidnam pro antiqvo habendum ſit in hoc genere probationis ex libro hiſtorico vel chronico depromendæ: Et Cravetta qvidem *tr. de antiqvit. temp. p. 1. pr. n. 2. 5. 6.* docet, ex nonnullorum ſententia tempus antiqvum in materia probationis dici, qvod excedit 40. annos, cui ſubſcribit Matth. Weſenbec. *p. 6. conſ. 267. n. 79.* his verbis: *Weil aber diß Tranſſumt ſehr alt iſt, als für 59. Jahr gegeben, (antiqvum enim dicitur in materia probationis, qvod eſt 40. annorum vel ſupra,* Cravett. &c.) *als vvird von etzlichen gehalten, daß es zum Beveiß genug: Exemplum enim antiqvum probat,* Aretin. *Conſ. 36. Caſus.* Raph. Cumanus *Conſ. 158. viſis &c.* Sed idem Cravetta *l. c. n. 4. & 5.* refert communem Dd. opinionem, *tempus excedens metam centum annorum eſſe antiqvum in materia probationum*; cui adſtipulatur Mart. Magerus *de Advoc. arm. c. 18. n. 191.* Qvia in antiqvis, ait, annos centum excedentibus lex facilioribus & veriſimilibus probationibus & conjecturis contenta eſt, teſte Cavalc. *Deciſ. 12. n. 1.* Zaſ. *Conſ. 15. n. 1. ſeqq. vol. 2.* & aliis ibi alleg. Nec deſunt, qvi judicis arbitrio ſtatuendum relinqvunt, qvodnam tempus hoc caſu dicatur antiqvum, ut Cravett. *l. c. n. 3.* oſtendit.

§. 16. Videntur autem in prædicto genere probationis facta antiqva dicenda eſſe, qvorum origo viventium memoriam excedit, ita ut per teſtes de proprio ſenſu deponentes ea doceri non poſſint; ita voluit Fern. Vaſqv. ſupra *c. 4.*

§. 4.

§. 4. allegatus ; Et ordinaria probationum forenſium natura exigit, ut ſi per teſtes juratos factum doceri poſſit, ad libros hiſtoricorum, qvibus injuratis credendum eſt, teſte Senec. (*in ludo de morte Claudii Cæſaris, pr.*) probationis inde arceſſendæ gratiâ non recurratur.

§. 17. Ob eandem rationem Matth. Weſenbec. *part. 5. Conſ. 209. n. 66.* reſpondit: *In judiciis non credi hiſtoriis aut ſcriptis divulgatis novis, qvæ non excedunt hominum memoriam.* Rectè nimirum Bodinus *Meth. Hiſt. c. IV.* Eſt enim, *ait*, veritatis ea vis & natura, ut non niſi *longo ac diuturno tempore in lucem eruatur: cùm ſcil. vulgi errores, adulationes & odia planè conqvierunt.* Si qvæ tamen hiſtoria factorum recentium edatur, approbatione eorum qvorum acta memoriæ publicæ ab aliqvo ſcriptore conſecrata ſunt, hæc ſtatim à primo ſuæ publicationis momento plenam vim probandi habere videtur: Et hujus generis ſunt tùm Hiſtoriæ pacificationum inter Reges, Principes & Reſpubb. cum ipſis tabulis transactionum & fœderum editæ ; tùm deſcriptiones ſolennitatum in coronatione, receptione homagii, nuptiis, funeribus Magnatum, publicâ auctoritate editæ; qvibus optimo jure annumeraveris Hiſtoriam Feſti ſecularis Acad. Juliæ. Qvæ poſterioris generis monumenta licet rerum gravitate cedant prioribus; Qvanqvam hiſtoria receptionis homagii plenius conſcripta haud exiguum qvo-

qve

qve momentum habeat in illustrandis controversiis futuri temporis, qvando idem negotium celebrandum venit : Revera tamen & reliqvarum solennitatum historiæ pro re nata admodum utiles possunt esse; v. c. in controversiis genealogicis personarum illustrium aut nobilium; qvarum majores illis solennitatibus interfuerunt.

§. 18. Qvod si deniqve vel antiqva vel recens historia publicorum documentorum fide, instructa sit, sive in locis opportunis eorum allegatio facta, sive totum opus aut unicè aut maximam partem constet ejusmodi scripturarum in Senatu Imperii, regni, Principatûs, civitatis productarum , aut ab eo sub forma Decreti, mandati, sententiæ, protestationis &c. emissarum, aliarúmve scripturarum collectione, cujus generis sunt C. Londorpii *actorum publicorum tomi*, ac *Diarii*, ut vocatur, *Europæi*, continuationes ; Hæc atqve talia monumenta, utut Cæsareâ approbatione sint edita, tantam tamen fidem non obtinent, ut contra ea vel ad collationem eorum cum originalibus , si qva in archivo Imperii asservantur, provocare, vel probationem in contrarium instituere iis, de qvorum gravi præjudicio agitur, haud liceat. Qvippe, ut supra firmatum, sola facti evidentia & præsumtio juris ac de jure propriissimè sic dicta, probationem in contrarium non recipiunt; contra ceteras autem probationes, qvæ vel testibus vel documentis lite-

literariis fiunt, si contradictionem patiantur, evidentioribus argumentis veritatem docere paratum, religiosus judex audire tenetur. vid. *L. C. V. §. 12.*

§. 19. Qvamobrem & omni casu qvo historiarum & chronicorum dictum ad fidem vel in judicio vel extra judicium faciendam allegatur, licet historiæ, qvales ante diximus, vim plenæ probationis habeant, hæc tamen vis eisdem tum demum accedit, qvando omnia, qvæ auctoritati historiæ allegatæ vel judicialiter productæ objiciuntur, ritè examinata, discussa &, vel judicialiter, vel omnium intelligentium judicio, rejecta sunt. Adeoqve & qvi contra historiæ vel chronici testimonium probationem in contrarium suscipere vult audiendus est: Id qvod illustri exemplo præclarè comprobat Georg. Everhard. *vol. 1. cons. 27.* ubi cùm plurium auctoritate demonstrasset, historias, chronica, tabulas & libros genealogiarum antiqvos posse in judicio ad fidem faciendam allegari; ita tandem *n. 7.* infert; Apparet qvidem ex Chronicis Münsteri & Joh. Stumphii Illustriss. Ducem Ludovicum, fratre suo Duce Friderico natu majorem fuisse, & ita videtur istis Chronicis standum esse, nisi Princeps, Proceres ac Status Imperii contrarium verius esse & credidissent & adhuc crederent, scilicet Ducem Fridericum natu majorem fuisse: Communis enim Dd. conclusio non simpliciter loqvitur, sed *extenus* dicit *chronicis eredenden-*

dendum esse, qvatenus à majoribus nostris eis creditum constat: Cùm igitur in Imperio Romano (ut nobis narratur) magis credatur, Ducem Fridericum seniorem fuisse, huic credulitati & opinioni videtur potiùs in judicio standum esse &c. Et *n. 8. & 9.* Nec obstat, ait, si dicatur, qvòd Münsterus & Stumphius tanqvam periti contrarium in scriptis memoriæ prodiderint, & sic opinio eadem non est apud omnes; Nam ista dictio OMNIS referri debet ad *proximos, & vicinos & cognoscentes*; prout Dd. communiter: Et sic in proposito nostro *proximi* sunt censendi Proceres Imperii, qvi ex hæreditario qvodam auditu à Majoribus suis hoc acceperunt; Et iis videtur magis credendum qvàm Münstero vel similibus, qvi more chronographorum undiqve ex diversis conqvisita privatâ manu annotaverunt & congesserunt.

§. 20. Hactenus Everhard. *l.c.* ubi ulterius ostendit, eo casu, ubi diversæ opiniones à diversis historicis vel chronicis vel genealogiis foventur, non semper locum habere dispositionem, *l. 14. C. de fide instrum.* per qvam neutra ejusmodi historiarum in ea opinione diversâ fidem habere videtur; nam (ait Georg. Everh. *allegatâ l. 1. pr. vers. sanè crebrior. ff. de Offic. Qvæstor.*) freqventior opinio debet prævalere minus freqventi, cit. Aretin. *in c. cum causam n. 9. de probat.* Unde etiam *d. l.* 1. ubiqve & perpetuò allegatur à Dd. ad hoc, qvod communis opinio

pinio ſeqvenda ſit. Non ignotum eſt etiam, qvòd opinio debeat cedere veritati, *l. ſi pater 4. §. quoties. 1. ff. de manumiſ. vindictâ.* Sed hoc procedit, veritate manifeſtatâ: In caſu autem noſtro veritas non eſt manifeſtata: unde inſpicere debemus id, quod veroſimilius eſt, juxta *c. inſpicimus. 45. de reg. jur. in 6to.* Sed nihil veroſimilius eſt, quàm qvod ipſi Principes meliùs noverunt ſuam originem & deſcendentiam, qvàm qvisqvam alius extraneus, ut ad ſenſum patet. Ergò ipſorum teſtimonio potius ſtandum eſt: &c.

§. 21. Ita præclarè Everhardus tradit rationem judicandi inter diverſas hiſtoricorum qvoqve de eodem vel facto, vel circumſtantia facti traditiones, & ex iis id qvod veroſimilius eſt, eligendi. Qvæ doctrina inſignem habet uſum in pluribus factis antiqvis, qvæ ab hiſtoricis & Dd. diverſimodè traduntur, rectè æſtimandis. Latiſſimè patet hic campus, ipſum Eccleſiæ & Reipubl. ſtatum ejusqve fundamenta controverſiis implicantibus dubiis inhorreſcens; Si conſideremus qvæſtionem *de Donatione Conſtantini*; cujus tamen donationis falſitas dudum detecta. vid. & Melch. Canus *loc. Theol. lib. xi. c. 3. verſ. qvartum decimum, & c. 5. verſ. In qvarti decimi &c.* ubi illud memorabile: *In maximo illi errore verſantur, qvi rerum geſtarum memorias tanquam Eccleſiæ oracula accipiunt, ſi eas in epiſtolis & decretis ſuis Pontifices aliqvando uſurparint: Non eſt idem, mihi crede, hiſtoriæ approbatio & uſurpatio.*

Utitur

Utitur quidem interdum Pontifex ſi quicquam ſuadere cupit, receptis opinionibus, ſententiis rebusque vulgatis; at non continuò quæcunque in hunc uſum attulerit, ea ſedis Apoſtolicæ judicio probat: Aliud quippe eſt ſuadentis munus, aliud definientis &c. Eruditè qvoqve memoratæ donationis falſitatem demonſtrat politiſſimus JCtus Nic. Henelius *Otii Ulratislavienſis c. XXII.* ne de aliis nunc dicam. Aut ſi porro conſideremus qvæſtionem *de translatione, an collatione Imp. Rom. Occidentalis in Carol. M.* qvæ ſi non quoad factum ipſum, tamen qvoad circumſtantias controverſa eſt, vid. Limnæ. *ad I. P. addit. Tom. II. ad lib. I. c. IV. & V.* Plura qvoqve alia in hiſtoria civili pariter & eccleſiaſtica diverſimodè traduntur, veluti de patria Caroli M. vid. Limnæ. *d. tom. II. ad lib. I. c. V. n. 5.* Rupert. ad Synopſin Beſold. *c. XVI. p. 597.* Dieteric. in Othon. M. p. 27. De Johanne Papiſſa, Rupert. *d. tr. c. XVII. p. 635.* Dn. Rhetius *Diſp. I. P. de Stat. Roland. Cap. 3. pr.* Dieteric. *Breviar. Pontif. ſub anno Chr. 854.* Qvam *ineptiſſimam ſimul atqve impudentiſſimam fabulam contra validiſſimam omnium ejusdem ſeculi ſcriptorum auctoritatem, & contra certiſſimam ſimul atqve evidentiſſimam demonſtrationem chronologicam,* Hiſtoriæ Pontificum inſertam perhibet P. Lambec. *Chronolog. & auctar. lib. I. Rerum Hamb. p. 376.* De Friderico I. Imperatore, num Alex. III. Pontifex collum ejus pedibus ſuis preſſerit, &c. vid. Rupert. *d. tr. c. XIIX. p. 663.* multisqve ſeqq. Et plura hujuſmodi, qvæ lubens prætereo.

§. 22.

§. 22. Qvicqvid autem ex Illius generis factis antiqvis in judicio allegari contingit, & ex chronicis ac hiſtoriis fide dignis, qvales ante declaravimus, docetur, aut inter diverſas hiſtoricorum traditiones oſtenditur veroſimilius, tam diu verum cenſeri debet, donec probetur contrarium. Andr. Knichen *de Saxon. non provoc. jure ad verb. Electorum cap. 1. n. 90.*

CAPUT IIX.

Fundamenta exceptionum qvæ allegatæ fidei hiſtoricæ opponi poſſunt; earumqve diſcuſſiones.

1. *Hiſtoriæ fidem à Philoſophis qvoqve & Poëtis comprobari.*
De Georg. Phranzæ hiſtoria à Pontano mutilata.
2. *Probatio ab auctoritate veterum recepta in qvalibet arte ac ſcientia.*
Hiſtoriæ vetuſtæ fidem non ubiqve ſinceram eſſe.
4. *Qvas ob cauſas hiſtoriæ fides interdum vacillet? & §. 11.*
De Imperitiâ & nimiâ credulitate nonnullorum hiſtoricorum.
Probatiſſimos qvoq; ex vetuſtis hiſtoricis erroribus obnoxios eſſe.
5. *Hiſtoricæ veritatis defectus ex affectu ſcriptorum veritatem pervertente. §. 13. 14.*
Hiſtoricus mentiens & mendax qvomodo differant.
Hiſtoricus qvomodo ab Oratore differat.

Leges historiæ ex mente Ciceron.

6. *Historicis ex parte fabulosis saltem ex parte fidem deesse.*

Falsus in uno, an in ceteris fidem perdat?

7. *De fide Scripturæ indivisibili.*

Quòd S. Scripturæ fides sit indivisibilis.

Versionem S. Scripturæ à LXX. Interpp. confectam non esse ab extraord. inspiratione divina profectam.

8. *Solennitates instrumenti publici quem finem respiciant?*

Forma est de genere in divisibilium.

Instrumenti fides quo sensu dicatur individua.

Fides instrumenti impugnatur ex defectu formæ.

9. *Defectus instrumenti quid operetur, si in causa 1. efficiente, 2. formali, 3. materiali.*

Instrumentum minùs solenne semiplenè probat.

Semiplena probatio per juramentum suppletorium completur.

Falsitas in materiâ instrumenti quo casu totum non vitiet.

Utile non debet per inutile vitiari.

10. *Librorum Historicorum & Chronicorum fidem non esse simpliciter individuam.*

Instrumentum & scripturam à producente in parte impugnari posse.

11. *Historiæ fidem certa ratione dividuam esse.*

Unde sit orationis & scripturæ veritas?

12. *Nullius nationis & ævi historiam omni ex parte sinceram esse.*

Græcos Scriptores à Romanis per injuriam traduci.

Rerum in Græcia gestarum Scriptores nonnullos & prudentissimos esse & maximæ veritatis

13. *Historiæ Romanæ veritatis*

ritatem vitiatam esse.
Vellejus Paterculus adulationis reus.
Historiam sui temporis conscribere arduum.
Dionysii Halicarnass. encomium.
14. *Historiam rerum Germanicarum minùs sinceram esse.*
Causæ illius corruptionis.
Historiæ Ecclesiasticæ corruptelas manifestas esse.
De auctore Speculi exemplorum & Legendæ aureæ.
15. *Civilem Germaniæ historiam fabulis deformatam esse.*
Falsis quoque documentis Magnatum & opulentorum patrimonia captata.
16. *Nonnullos historiæ nævos per eruditorum lucubrationes sublatos.*
Utilitas hujus instituti, & exempla.
17. *Quinam Scriptores præceteris facilè incurrant ignorantiæ aut mendacii suspicionem?*
Historiam ex uniius hominis perpetuâ laudatione suspectam esse.
18. *Causam erroris & falsitatis in monumentis historicis non generalem sed particularem esse.*
In unoquoque libro historico quâ ratione vera à falsis dijudicanda sint.
19. *Scripturam historiarum & chronicorum esse dividuam.*
20. *Nullum scriptorem historicum simpliciter & omni ex parte falsi accusandum.*
Reprehenditur Juvenalis & Ovvenus.
De Polydori Virgilii historiâ.
De Mich. Eyzingeri Thesauro principum Genealogico.

§. I.

HIstoriæ fidem magno Jureconsulto-rum suffragio comprobari capite proximo demonstratum est: Horum verò sententiæ clarius lumen veritatis inde accedit, qvod & Philosophiæ ceterarumqve artium antistites eandem tuentur: Plinius enim, referente D. Gothofr. ad l. 10. ff. de probationibus, *Annales vel opere vel fortuna mereri publicam fidem* statuit. Et Cl. J. H. Bœclerus *in Notis ad Herodian. lib. II. in fin.* ubi Jacobum Pontanum objurgat, qvòd *Georgii Phranzæ* historiam mutilaverit: inter alia, *qvid fieret denique*, ait, *operibus historicis, ipsaqve rerum memoria, si licentia hujus exempla propagarentur? quod? an publica monumenta (talia enim censeri non unas ob causas debent historiæ priorum temporum) privati hominis arbitrio reformari, aut detruncari fas & jura sinunt? judicent qvi judicio valent, &c.* Sed à Poëtis qvoqve veritatis elogium historicis tribui ex Ovidii carmine patet: III. Amor. Eleg. XI.

Exit in immensum fœcunda licentia vatum,
Obligat historicâ nec sua verba fide.

§. 2. Optandum verò esset, ut tot rationibus & magni nominis Theologorum utpote S. Augustini, Theodoreti, Melch. Gani, JCtorum porrò, Philosophorum & Poëtarum hactenùs concordibus sententiis subnixa fides historica ubiqve sincera foret; sic enim *erroris securi qvavis historiâ niteremur*, verba sunt Nobiliss. Dn.

Dn. Rhetii *Disp. I. primâ de Statuis Roland. praloqv.*

§. 3. Sed vera non minus qvam necessaria est animadversio prudentiss. Cti Andr. Alciati *in comm. ad l. 1 ff. si certum petat.* Ceterum, *ait. n. 52.* & ab auctoritate veterum in suâ cujusqve arte legitima est probatio; qvales sunt qui communi Studiosorum (eruditos intelligit Alciatus) calculo per Academias jamdiu approbantur, ut Hippocrates Galenusqve Medicis. *l. 7. ff. de statu hom.* Plato & Aristoteles Philosophis, *l. 1. ff. de nund. l. 36. ff. de solut.* Livius, Sallustius, Tacitus Historicis, *l. 8. ff. ad l. Jul. majestat. l. 1. ff. de Officio Quæstoris*; Cicero & Virgilius humanitatis Professoribus, *l. 39. ff. de pœn. l. 6. §. fin. ff. de rerum divis.* Et *num. 53. pergit.*: Idemqve de vetustis Chronicis Dd. hîc sentiunt. Gl. *in §. hæc autem tria. in prooëm. ff.* & libris qvi in provinciarum archivis fideliter conservati sunt, *l. 11. C. de agric. & censitis.* In qvibus tamen omnibus judicio opus est; qvia PLERAQVE „vetustatis per *imperitos* vel *adulatores* corru„pta sunt. *Hactenus Alciat.*

§. 4. Duas autem in historicis & chronicis libris observat falsitatis causas; unam in intellectu, alteram in voluntate scribentium positam. Et imperitia qvidem scriptorum quandoqve satis crassa est, si veritatem rerum non inde petant, ubi ea residere est solita; sed ex iis in qvibus rarò est eam invenere, nempe ex dissipatis pervagatisqve rumoribus. Hisce pares

ſunt, qvi, ut M. Cani verba proſeqvar, *auctores eos à qvibus ſuos exſcripsêre libros, diligenter examinârunt, nec res juſtis libratas ponderibus memoriæ prodiderunt.* Hiſtoricus autem, docente M. Cano *l.c.* qvi Theologiæ (& univerſali eruditorum) decreto probandus erit, nec omnes ſchedas lectione etiam indignas excutiet, nec anilibus fabulis accommodabit operam, nec priùs lecta auditaqve deſcribet, qvàm ea prudenti accuratoqve judicio expendat ac ſeligat. Nonnulli verò hiſtoricorum etiam ſic ſatis circumſpecti tamen erroribus interdum ſunt obnoxii in deſcriptione rerum qvarum memoriam ad ſeram poſteritatem tranſmittere laborârunt Qvin imò Flavius Vopiſcus in Aureliano ſuo diſertim profitetur, ipſum ſe dixiſſe Junio Tiberiano; *neminem hiſtoricorum, qvantum ad hiſtoriam pertinet, non aliqvid eſſe mentitum: prodiiſſe qvin etiam, in qvo Livius, in qvo Salluſtius, in qvo* Corn. *Tacitus, in qvo denique Trogus manifeſtis teſtimoniis convinceretur.* Refert hæc G. J. Voſſ. art. Hiſtor. c. 9. Et Dn. Martin. à Boëkellen in Epiſtola ad Henr. Bangertum Helmoldi Chronico Slavorum præfixâ teſtatur, ſe ex eruditiſſimo Heinſio audiviſſe qvondam, obſervatos ipſi *aliqvot Livianarum hallucinationum centones.*

§. 5. Ut autem æqvè nocens, ſic deteſtabilius eſt hiſtoriæ vitium, ſi ex adulatione, amore, odio, invidiâ, metu, falſis narrationibus à Scriptore contaminetur ejus veritas: prioris generis eſt *hiſtoricus mentiens*, poſterioris verò *hiſtorieus*

ricus mendax: Ut enim S. Auguſtinus *libr. de mendacio ad Conſentium c. XI.* docet; *Intereſt inter mentientem atqve mendacem: Nam* mentiens *eſt etiam qvi mentitur invitus*, mendax *verò amat mentiri.* Hujus generis eſt qvi ſtudio placendi Magnatibus res ab iis geſtas extollit, hoſtium præclarè facta deprimit, atqve ita duplici facinore veritatem adulterat; cùm tamen hiſtoria nec plus nec minùs dicere debeat, qvàm in re eſt, in qvo ab Oratore diſtingui ſolet, Voſſ. *A. H. c. 9.* Nam qvis neſcit, *verba ſunt* Cic. II. *de Orat.* primam eſſe hiſtoriæ legem, *ne qvid falſi dicere audeat*; deinde, *ne qvid veri non audeat.* Fieri autem non poteſt ut hiſtoria ſit *teſtis temporum*, *lux veritatis*, *vita memoriæ*, *nuncia vetuſtatis*, qvod elogium Tullius *d. l.* illi tribuit, ſi fabularum & mendaciorum deliriis illius pulchritudo deformetur.

§. 6. Qvâ parte igitur libris hiſtoricis vel chronicis fabuloſæ aut falſæ narrationes inſperſæ ſunt, eâ parte fides eorum vacillat. Et ſiqvidem totus liber ſit fabuloſus, ad probationem facti inde arceſſendam totus eſt inutilis. Qvamvis autem plurimi hiſtoricorum per imperitiam & credulitatem, nonnulli qvoqve ex adulatione, metu aut odio veritatem deſeruerint; hoc ipſo tamen reliqvis qvoqve ab eodem ſcriptore traditis non ſtatim detracta eſt auctoritas; ſed ea tantùm ſimul corruunt qvæ ex eodem falſo & inqvinato fonte derivata ſunt, nempe aut ex iiſdem falſis relationibus vel chartis, aut eodem

Digitized by Google

affectu durante per mendacium scripta. Neqve enim in toto volumine historico facilè locum invenit, qvod falsum in uno, in ceteris fidem perdat, licet Menochius *Cons. 112. n. 71.* & Paris. *Cons. 23. n. 253.* id ipsum historicis objiciant: Nam & ratio illius Brocardici relata ab Alberic. Gentil *de armis Rom lib. l. c. l.* qvia videl. deficiat *fides*, qvæ *individua* est, in historico opere cessat. Voss. *artis histor. cap. IX.*

§. 7. Vulgata autem hæc sententia, qvòd fides scripturæ sit indivisibilis, non tantùm à Jureconsultis usurpatur, vid Aymo Cravett. *de antiqv. tempus p. 1. §. 5. Viso n. 75.* Menoch. & Alb. Gentil. *locis jam alleg.* sed & S. Augustini jurisqve Canon. *c. 7. dist. 9.* auctoritate niti videtur; Et Augustin. *lib. de Mendacio c.* 10. ait: *fractâ vel leviter diminutâ auctoritate veritatis, omnia dubia remanebunt.* At verò S. Augustinus qviq; ex eo relatus est Juris canonici textus loquuntur de Sacrâ Scriptura divinitùs revelatâ, cujus auctor falli nescius, in nullâ re errasse præsumi debet; hinc inferunt, si daretur, in alicujus S. scripturæ libri, qvi indubitatè canonicus reputatur, authentico exemplari reperiri errorem aut falsam aliqvam enunciationem, fore, ut toti illi libro decederet auctoritas scripturæ divinitùs inspiratæ. Inde & versionem LXX. Interpretum non esse factam ad extraordinariam inspirationem Spiritûs sancti, sed esse opus humanâ industria effectum contendit Dan. Chamier. *Panstratiæ Catholicæ tom. 1. lib. 13. c. 4. 6.* nempe cùm varii errores

errores verſionis LXX. demonſtrati ſint, *ibid. c. 8.*

§. 8. Sed qvæ humana induſtriâ efficiuntur ſcripturæ, uti ipſi homines, qvandoqve non ita omni ex parte erroris ſunt expertes, atqve hæ qvæ proficiſcuntur à principio fallere ac falli neſcio, ſeu qvod eſt ipſa veritas. Sapientes tamen legumlatores, ab iis qvoqve qvæ in fidem rei geſtæ publica auctoritate componuntur ſcripturis & documentis omne falſum & ſimulatum excludere ſatagentes certas ejuſmodi ſcripturarum ſolennitates ordinârunt, qvas omnes & ſingulas ad unguem, ut ajunt, obſervari voluerunt in inſtrumento vel documento indubitatam ac publicam fidem habituro, ita ut ſi vel una dictarum ſolennitatum neglecta fuerit, totum inſtrumentum falſitatis ſuſpectum ſit & fide probatoriâ deſtituatur, utpote qvod in forma probante non poſſit produci: Hæc enim forma eſt totum qvoddam & individuum pro partibus ex legis diſpoſitione indiviſis, Barboſ. *lib. VI. c. 20. ax. 10.* unde fides inſtrumenti dicitur individua vel indiviſibilis, i. e. inſtrumento plenè ineſſe neſcia niſi omnibus numeris perfecto, & debitis ſuis ſolennitatibus abſoluto: unde pluribus ex cauſis Inſtrumenta falſitatis convinci poſſe, illuſtri exemplo docetur admodum notabili textu, *c. inter dilectos. 6. Xtr. de fide Inſtrumentorum.* conf. Speculat *in tit. de Inſtrum. edit. §. 6. inſtrumentum ergo publicum qvaliter impugnetur &c.*

§. 9. Et qvidem juxta præclaram doctrinam Bart. *in l. ſi ex falſis 42. C. de tranſact.* defectus aut eſt in cauſa efficiente inſtrumenti, ſi à perſona inhabili ſit compoſitum; & tunc ſine dubio totum eſt falſum, per *l. 12. C. de ſuſceptoribus & præpoſitis & arcul.* ubi D. Gothofredus: *tabellioni qvi ſemel falſum admiſerit, poſtea fides non adhibetur.* vid. Sichard. *ad l. 2. n. 7. C. de fide Inſtr.* aut defectus eſt in formalibus inſtrumenti, ut circa diem & Conſulem; & vitiatur totum inſtrumentum, M. Magerus *de advoc. arm. c. 14. n. 41. 42.* Novell. *47. Ut præponatur nomen Imperatoris documentis &c.* ſcil. ad hoc vitiatur, ut plenam fidem facere non poſſit; qvippe inſttumentum in qvo deficiunt ſolennitates, licet plenè probare non poſſit, ſemiplenè tamen probat Menoch. *Conſ. 42. n. 6.* Idem ex Beuſt. *ad l. admonendi 31. ff. de Jurejur. n. 701.* ſtatuit Richter *Cent. 1. deciſ. 32. n. 28*; addens, hoc & aliis caſibus ubi aliqvid ſemiplenè probatum eſt, jusjurandum ſuppletorium locum habere. Carpzov. *p. 1. c. 23. d. 3. 4.* Sed levis error notarii, ſi in ſermone & contextu inſtrumenti cetera ſint liqvida, fidem ejus non debet labefactare, Tabor *Relat. Argent. CXLIIX. n. 2.* ex *l. 8. ff. de ſtatu hom. l. 7. C. de Inſtrumentis.* Aut deniqve in materialibus inſtrumenti occurrit defectus; tunc aut eſt defectus in eodem capitulo, aut in diverſis: ſi in eodem, totum illud capitulum vitiatur, Bart. *l. c. n. 12.* Idem obtinet ſi capitula ſint connexa, vel unum

unum alterius acceſſorium, Bart. *l. c.* & Speculat. *d. t. de inſtrum. edit.* §. *6. 19.* arg. *l. 29.* §. *1. ff. de minoribus.* & *c. 71. inqviſitioni Xtr. de appellat*; aut ſunt capitula ſeparata, & totum non vitiatur, Bart. *l. c.* Speculat. *l. c. n. 10.* Matth. Weſenb. *p. VI. Conſ. 270. n. 74.* Imò etiamſi in inſtrumento una ſit pars qvæ intelligi non poſſit; hôc tamen non vitiatur altera qvæ poteſt intelligi, prout idem Weſenb. *p. V. conſ. 204. de editione teſtam. n. 62.* cum plurib. ibi allag. docet; ex regulâ, utile non debet per inutile vitiari, *c. 37. de R. J. in 6to.*

§. 10. Atqve ita de libris qvoqve hiſtoricis & chronicis ſtatuendum eſt, qvòd fides eorum non ſit ſimpliciter & abſolutè indiviſibilis, ſed tantùm certis conditionibus; prout ipſam etiam inſtrumenti fidem certa ratione dividuam eſſe conſtat. Qvisqvis enim ſcripturam vel inſtrumentum pro ſe in judicio producit, cenſetur qvidem omnia ejus contenta confiteri; ſi tamen in aliqvâ parte fidem ejus impugnare velit & probare falſitatem vel errorem, admittendus eſt, per tradita Aym. Cravett. *de antiq. temp. p. 1.* §. *5. viſc. n. 74. 75. ſeqq.*

§. 11. Cùm igitur oſtendi poſſint rationes ex qvibus hiſtorici & chronographi falſas narrationes veris admiſceant, fatendum qvoqve eſt, hiſtoriæ fidem certâ ratione dividuam eſſe. Certum verò eſt erroneas & falſas narrationes hiſtoriis & chronicis immiſceri tùm

ex

Digitized by Google

ex imperitiâ, & nimiâ nec ſatis circumſpectâ credulitate ſcribentis, uti paulò ante §. 4. oſtenſum; tùm ex affectu qvodam ſcriptorem ad veritatis occultationem & falſæ narrationis adornationem impellente. §. *5. & 6. h. c.* Qvamobrem in qvâ parte hiſtoriæ alterutra harum falſitatis cauſarum oſtendi poteſt, ei parti eô ipsô fides probatoria ſimul detracta eſt; cùm orationis & ſcripturæ veritatem non niſi ex ſcientiâ ſcribentis & voluntate rei non aliter atqve geſta eſt narrandæ oriri poſſe ſupra demonſtratum ſit. *c. VII.* §. *5.*

§. 12. Et verò cujuslibet ævi & nationis hiſtoriam aut alterutro aut utroqve iſto nomine corruptam & vitiatam eſſe, docuit hac in parte non diſcipulus, ut qvondam ajebant, ſed magiſter prioris poſterior dies. Græcanicæ nationis hiſtoriam falſitatis ream agunt Latini ſcriptores, vid. G. J. Voſſ. *Art. Hiſt. c. IX.* ſed Romani hanc labem ei inſolentiùs adſperſerunt, qvi ſua tantùm facta illuſtria, vicinorum obſcura eſſe & ignorari malebant. Certè nemo ex eruditis hodie ignorat elogia vel Thucydidis, vel Xenophontis, vel Diodori Siculi, vel Arriani, vel Polybii; de qvibus omnibus vid. Degor. Whear *Relect. hiſtor. ſeu method. legendi hiſtor. part. I. ſect. 9. 10. 11. 12. 13.* Unde manifeſtum eſt, Græciam qvoqve protuliſſe rerum ſuarum ſcriptores prudentiâ & fide nulli aliarum nationum ſecundos; homines licet & humanæ imbecillitatis, ut & ceterorum

rum populorum hiſtorici, non undeqvaqve expertes.

§. 13. Qvippe & rerum Romanarum veritatem vitiatam eſſe oſtendit Alberic. Gentilis *de armis Rom. lib. 1. c. 1.* Nam eædem cauſæ qvæ Græcorum hiſtoricos qvandoqve in errorem & veritatis diſſimulationem impulere, Romanis qvoqve ſcriptoribus præſtò fuerunt, Velleji Paterculi adulationes in hiſtoria Imperatorum ſui temporis nimis ſunt palpabiles. Et in univerſum Bodinus M. H. c. IV. *Sanè vix eſt*, ait, *ut qvi præſentium rerum hiſtorias in vulgus manare patiuntur, vera ſcribant; ne cujusqvam nomen hiſtoria læſura ac famam violatura ſit.* Unde multa ob metum falſa. Qvandoqve etiam ſcriptores pro naturali erga patriam Rempublicam amore, res ejus bene geſtas in majus extollunt, ſecus actorum fidem narratione falſa corrumpunt: Hinc Bodin. *l. c.* cenſet Dionyſii Halicarnaſſei majorem fidem eſſe in hiſtoria Romana qvam Livii, Tranqvilli, Taciti, clariſſimorum ſcriptorum; propterea *qvod de aliena* (in qva tamen verſatus eſt) *non de ſua Republ. ſcripſerit, & omnium commentarios ac civitatis arcana ex actis publicis collegerit.* conf. Degor. Whear *Relect. hiſtor. part.* I. *ſect. 16.*

§. 14. Dolendum verò, & Imperii Romano Germanici hiſtoriam civilem non minus qvam eccleſiaſticam, non ubiqve ſincera veritate compoſitam exſtare. *Præcipuè id Germaniæ hiſtoriæ*, recito verba Nobiliſſ. Dn. Rhetii ex

tr. ſu-

tr. ſupra §. 2. h. e. jam laudato, *cum magnis Rebus commune habet, ut qvo antiqvior, eò magis in ambiguo ſit; dum alii qvoqvo modo audita pro compertis habuerunt, alii vera in contrarium verterunt; & gliſcit utrumqve poſteritate.* Videtur autem vetuſtior ætas, qvo tempore adhuc in clauſtris ac cellis monachorum tota pene literatura latebat, ex ſimplicitate & veterum monumentorum defectu, pronior fuiſſe ad fabuloſas narrationes pro verà hiſtoria venditandas: Nonnulli qvoqve aut honoris aut lucri ſtudio veritatem hiſtoriæ vitiatam ad poſteros tranſmiſerunt; ſc. ut confictis revelationibus, apparitionibus, miraculis auctoritatem ſuo ordini conciliarent. De hiſtoriæ eccleſiaſticæ corruptelis cordatè judicat Melch. Canus *loc. Theol. libr. XI. c. 6. p. 535.* Sic autem ait: *Dum qvidam affectu ſuo nimium indulgent, & ea ſcribunt qvæ animus ſcribentis dictat, non veritas, tales Divos qvandoqve nobis exhibent, qvales Divi ipſi, & ſi poſſent, eſſe tamen noluiſſent &c.* Memorabile qvoqve ejuſdem Cani judicium de auctore *Speculi exemplorum* & *Legendæ aureæ*, d. c. VI. p. 540. exſtat: *Nec ego hic*, ait, *libri illius auctorem excuſo qui SPECULUM EXEMPLORUM inſcribitur; nec hiſtoriæ etiam ejus qvæ LEGENDA AUREA nominatur: in illo enim miraculorum monſtra ſæpius qvam vera miracula legas: hanc homo ſcripſit ferrei oris, plumbei cordis, animi certè parum ſeveri & prudentis.* Et de aliis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptoribus ſatis cordate ibidem judicat doctiſſimus Canus.

§. 15

§. 15. Civilem qvoqve Germanicarum rerum hiſtoriam fabuloſis narrationibus oneratam eſſe apud eruditos in confeſſo eſt; inter plures hujus rei teſtes vid. Dn. Rhetius *loco ſupra* §. 2. *allegato*, & G. J. Voſſ. *A. H. c. IX.* ubi de Turpino & Paulo Jovio agit. Nec ſceleratæ minus qvam noxiæ fuerunt nonnullorum manus, qvi falſis documentis, inſtrumentis, diplomatibus compoſitis Imperatorum, Principum, civitatum, & ex privato ordine opulentiorum nonnullorum patrimonia invaſerunt, & neſcio cui monaſterio, eccleſiæ, epiſcopatui adſcripſere; proſperum ac felix ſcelus confictæ Donationis Conſtantini, cujus ſupra mentio facta, in paſſibus utilibus ac proficuis, ut cum practicis loqvar, ambabus manibus amplectentes. Imò, ut Dn. Rhetius l. c. teſtatur, privilegiorum qvædam diplomata pro libertate urbium vel populorum aſſerta, adeo corrupta ad nos pervenerunt, ut ſola inſpectio falſitatis invenerit argumentum.

§. 16. Magno autem hiſtoricæ veritatis bono eminentium ingeniorùm curioſitas & labor indefeſſus qvamplurimos ſecularis & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ nævos orbi erudito demonſtravit. Nimirum Eccleſiæ & Reipubl. intereſt non ignorari qvidnam de utriusqve antiqvitatibus verè aut falſò, aut dubiâ incertaqve fide traditum ſit. Utqve magnam hiſtoriæ eccleſiaſticæ lucem ſuis lucubrationibus affuderunt Scriptores Centuriarum Magdeburgenſium. ea-

earumqve æmulus Cardin. Baronius & hujus censor Casaubon. v. Degor. Whear *Relect. histor. part. I. Sect. 42. 43. 44. 45.* qvorum vestigiis institerunt Blondellus, Allatius, Baluzius, ceteriqve qvorum honori silentio meo nihil detractum cupio; Sic inposterum non defuturos spero, qvi utriusqve historiæ recessus abditos rimari accuratoqve judicio antiqvitatis fidem examinare & possint & velint.

§. 17. Interea verò dum omnia qvæ in historiarum scriptoribus, chronicis & genealogicis tractatibus censoriam merentur virgulam, nondum accuratè examinata veraqve à falsis nondum satis manifestè discreta sunt, inter historicos fide dignos numerari debent ii, qvi communi & generali eruditorum calculo veritatis & fidei testimonium meruerunt, prout supra firmatum. Ignorantiæ & erroris vel incertitudinis notam facilè incurrunt scriptores, si res à sua vel ætate vel patria vel loco ubi vivunt remotiores commemorent, nullâ suæ scientiæ causâ idoneâ assignatâ vel ostensâ; qvæ ut supra C. VII. §. 5. ostensum, ad fidem historiæ conciliandam necessaria est. In rerum recentium commemoratione amoris aut metûs suspicionem contrahere solent historici, si describant res Magnatum aut Rerumpp. qvibus fortunarum suarum initia aut incrementa accepta ferunt; inde Bodinus *MH. c. IV.* rectè censet; *Neq; eas historias probare possum qvæ perpetuas laudes ac virtutes ejusdem, nulla*

nulla vitia commemorant; cùm nullus sit tanta integritate ac prudentiâ, ut non sæpissime offendat: Nam Eginhardus & Acciaolus Carolum M. Eusebius Constantinum, Nebrissensis Ferdinandum, Jovius Cosmum Medicem, Philostratus Appollonium, Procopius Bellisarium, Staphylus & Leva Carolum V. Imper. tantis laudibus cumularunt, ut Oratores non historicos agere videantur. Ergo prudens existimator laudes cujusqve non domesticorum aut amicorum duntaxat, verum etiam hostium ponderibus examinabit: Neqve omnia Philippo Cominio de Ludovici XI. laudibus scribenti assentietur; sed etiam Mejerum Belgicarum rerum scriptorem adhibebit: Neqve hunc tantùm, verum etiam Paulum Æmilium; propterea qvod unus qvidem plenus est Ludovici laudibus; alter eas omnino rejicit; tertius medium ferit. Hæc Bodinus.

§. 18. Atqve ita qvidem causa erroris & falsitatis in plerisqve historicis tantum particularis est; nempe error præsumitur in rebus antiqvissimis aliisqve nullo idoneo vel teste vel documento demonstratis; falsitatis suspicio ex adulatione aut odio erga personas singulares interdum nascitur. Voss. *art. histor. cap. IX.* Uti igitur alias qvoqve limitata causa limitatum producit effectum, de qvo vid. Barbos. *lib. 3. c. 10. ax. 15.* Ita & in historiarum ac chronicorum libris error & falsitas saltem ibi occurrunt, ubi causa errandi & veritatis infuscandæ præstò fuisse demonstratur: Ubi autem causa scientiæ cum voluntate propensa adesse

Bayerische Staatsbibliothek München

Digitized by Google

intelligitur, hiſtoriarum ſcriptori fidem adhibere oportet; idqve propter rationes ſupra ex S. Auguſtino & Theodoreto allatas: In dubio etiam unuſqvisqve debet præſumi bonus & verax, maximè ſi id qvod narratur, nec incredibile nec abſurdum, ſed probabile ac veroſimile exiſtat; & ſcriptor nec amore nec odio partium, de qvibus narrat, duci intelligatur. Sed hoc ipſum cap. ſeq. iterum attingendum erit.

§. 19. Separari proinde in libris hiſtoricis & chronicis debet verum à falſo, veroſimile ab eo qvod falſitatis ſuſpectum eſt; idqve ex rationibus ante declaratis. Et ſic patet qvâ ratione hiſtoriarum & chronicorum ſcriptura ſit dividua; ſingulorum interim articulorum, de qvorum veritate dubitandi cauſa non adeſt, fide individuâ exiſtente. Et ita qvoqve ceterarum ſcripturarum fidem individuam eſſe docent legum interpretes ſupra *h. c.* §. 9. allegati.

§. 20. Ex his conſtat qvam jejunè illi de hiſtoricis monumentis judicent, qvi certos ſcriptores ſimpliciter falſitatis damnant, ſi forſan in qvibusdam relationibus humani qvippiam paſſi ſint. Juvenalis qvoqve poëticæ licentiæ obtentu haud excuſatur, qvòd licet in Satyris ſcripſerit:

——— *qvicqvid Græcia mendax*
Audet in hiſtoriâ.

utut Voſſius neminem propterea indignari debere contendat. Nec omnino ferendus eſt Owenus Polydorum Virgilium mendacem procla-

Digitized by Google

clamans, qvi non nisi in eâ parte historiæ ubi Henrici IIX. tempora describit, ex amore partium veritatem sæpius deseruit, prout de eo judicat prælector Camdenianus Degor. Whear *Relect. histor. p. I. sect. 30.* Contrario autem modo alii circa initia suæ historiæ ubi tempora antiqvissima describunt, fidem non merentur, cùm tamen in rebus suo ævo propioribus sint veraciores: atqve ita inter qvamplures alios judicandum existimo de Thesauro principum Michaëlis Eyzingeri, ubi Genealogiam Principum Austriæ à temporibus Julii Cæsaris repetitam ad ann. Chr. 1590. usqve deducit, nullo documento vel teste ad res adeo antiqvas docendas idoneo in medium producto.

CAPUT IX.

Qvale argumentum à fide historicâ ducatur; qvibusqve rationibus illud firmari debeat.

1. *Argumentum à fide historica sumtum continere demonstrationem ostensivam τὸ ὅτι, & à posteriori.*
2. *Illud argumentum in qvodnam resolvatur principium.*

Historia eam adhiberi debere fidem qvam auctor ejus illi adhibet.

3. *Auctoritas nuda haud attenditur à dialectico:*

Neqve in historia: Nisi qvando disputatur κατ' ἄνθρωπον.

4. *Auctoritas tribuitur*

& auctori, & rei ab eo profectæ.

5. Auctorem esse & in auctoritate esse differunt.

Auctoritas quidnam:
in legumlatore:
in Principe:
in historico.

6. Auctoritas iis cognita esse debet apud quos vim habitura est.

Auctoritas quomodo fidem gignat.

7. Liber genuinus quis dicatur:
& quibus rationibus demonstretur.
Cæsaris Commentarii,
& Cominæi,
& Platonis, Arist. Ciceronis &c. libri qua ratione genuini probentur.

8. Firmatur ratio qua genuinitas illa probatur.

9. Historia verax quænam sit.

Fides historica cui innitatur principio.

10. Fides historica in thesi non patitur contradictorem;

Sed tamen in hypothesi.

11. Ad illam historiæ vim demonstrativam opus esse (1) ut producatur codex genuinus & incorruptus.

Inter diversos codices vetustior utplurimum fide dignior.

12. Opus esse (2) ut in scriptore demonstretur causa scientiæ.

Et quænam ea sit.

13. Accurati scriptores ipsimet indicare solent causam scientiæ.

De J. Aventino §. 7.

De Gu. Camdeno.

14. De Ph. Cominæo.

15. Anonymorum quoque commentarios historicos posse fide dignos esse.

16. Causam scientiæ ab historico in singulis historiæ suæ membris vel articulis docendam esse.

Exemplo Lehmanni hoc docetur.

17. Qua-

17. *Qvare nonnulli malint acta, protocolla, documenta originalia conjunctim edere, qvàm conscribere historiam.*
18. *Ad fidem historiæ docendam (3) opus esse, ut voluntas scriptoris à mendacio aliena fuisse ostendatur.*
19. *Historiam pro se habere veritatis præsumtionem.*
20. *Certitudo moralis, physica, metaphysica.*
21. *Gradus illarum specierum.*
Et moralis certitudo aliquo casu physicæ æquipollet.
22. *Ulterius firmatur hæc sententia.*
23. *Historiæ fides interdum duntaxat probabilitatem gignit.*
24. *Historiæ tùm veræ tùm suspectæ criteria à judice ponderanda esse.*

§. I.

QUod à fide libri historici vel chronici, cujus auctoritas probata aut firmis rationibus non est improbata, ducitur argumentum, proficit ad demonstrationem ostensivam τοῦ ὅτι, qva ex posteriori demonstratur id qvod prius contigit, ex consequente antecedens, causa ex effectu. *Vera enim oratio*, ut Aristot. in categor. c. XII. t. 7. docet, *neqvaqvam est causa cur res sit, sed constat rem qvodammodo causam esse cur vera sit oratio*; Nam qvia res est vel non est, *oratio dicitur vera vel falsa.* Hinc & qvia res ab historico commemorata revera contigit, hic potuit vel sensibus vel ab aliis tot ac talibus de qvorum fide & integritate

dubitare haud debuit, illam percipere; & qvoniam perceptam eam memoriâ dignam *judicavit* memoriæ qvoqve posteritatis eandem commendare voluit; qvia verò hoc potuit & voluit; eam qvoqve literis & memoriæ posterorum commendavit: voluisse autem censendus est, qvia integritatis & fidei suæ & vestigia in ipso opere historico manifesta, & testimonium à coætaneis pariter integris & prudentibus habet: prout jam ante *cap. VII. §. 5. 6. seqq.* plenius ostendimus; & ex iis qvæ nunc sequuntur luculentius patebit.

§. 2. Argumentum qvod ab auctoritate Historiæ trahitur, in hoc resolvitur rectæ rationis principium: *Qvicqvid à probatæ auctoritatis Historiarum Scriptore memoriæ proditum est, ei fides est adhibenda:* Sed talis & tanta qvalem & qvantam ipse scriptor historiæ qvam scripsit adhibuit. Hic enim qvando non res à se gestas, aut qvibus ipse cum gererentur haud interfuit, sed aut ante suam ætatem, aut in loco remotiori gestas memoriæ mandat, certum ab incerto ipse haud raro separat. Sic Q. Curtius de rebus gestis Alexandri M. *lib. IX. cap. 1. Eqvidem*, ait, *plura transscribo, qvam credo. Nam nec affirmare sustineo de qvibus dubito: nec subducere qvæ accepi.* Idemqve ab aliis gravibus historiæ Scriptoribus observatum esse pluribus, si opus foret, exemplis posset ostendi.

§. 3. Nuda qvippe auctoritas neqve à Dialectico, qvi tamen tantum probabilitatem qværit,

qværit, in disputando attenditur; *Non enim*, verba sunt Hedionis *Dialect. lib. 1. c. 3. §. 6. auctoritatibus, sed rationibus in disputando agendum est; neqve ad qvem disputatio dirigitur, auctoritates & nuda testimonia petit; Sed rationem qværit & nullo alio modo acqviescit. ---- In certo tamen casu aliqvando accidit, ut Dialecticus ex sola etiam hujus aut illius Sapientis vel artificis auctoritate recte argumentari possit; qvando nempe κατ' ἄνθρωπον disputat, vel ipsi res est cum tali qvi huic vel illi Sapienti nomen suum dedit; apud qvem ea propter hujus vel illius auctoritas multum valet.* Sic qvoqve Historico non ideo creditur, qvia, ut sic dicam, αὐτὸς ἔφα: Sed qvia, ut summatim dicam, auctoritas ejus idoneis rationibus comprobari potest.

§. 4. Auctoritatis nomen ab auctore ductum & derivatum est; dubio procul qvod auctoritas primo & præcipue ei competat, qvi & qvatenus dicti factive alicujus auctor est, aut ad dicendum faciendumve qvippiam idoneus: Sicut aliqva est Livii auctoritas, comparatione historiæ Romanæ qvam literis prodidit: Nihilominus certo modo & rei ab auctore profectæ tribui auctoritas consvevit velut legi, scripturæ, testimonio. Ita Petrus Musæus *Disp. Theol. 11. cap 3. §. 15.*

§. 5. Etsi vero auctoritas primo & præcipue in auctore spectatur; non tamen qvilibet & cujusqve operis auctor auctoritate pollet; sed latius patet, esse auctorem, qvam in auc-

ctoritate esse. ---- Auctoritas non nisi ejus est à qvo eximium, & perfectum ac laudabile qvid exspectari potest. Unde eo major vel minor cujusqve auctoritas est, qvo magis vel minus opus suum perficit atqve exornat. Necessum igitur est, *auctoritatem* esse *eximiam perfectionem qvandam auctoris, in ordine ad rem ab ipso profectam, aut profecturam* : ---- *Qvalis perfectio* in legislatore est prudentia singularis ad ferendam legem Reipubl: salutarem, in Principe Majestas seu absoluta potestas ad confirmandam legem; *in Historico, scientia rerum gestarum, cum pertinaci veritatis ad posteritatem transmittendæ studio:* Hactenus P. Musæus *d. l. §. 16.* cui consona tradit Anton. Maria Coratius *tr. de communi opinione lib. 1. tit. 5.*

§. 6. Ceterum, pergit Musæus *d. l. §. 17.* Qvæ cuiqve inest maxima qvantumvis *virtus ac perfectio, neutiqvam* ipsi *auctoritatem parit, nisi aliis cognita & explorata fuerit.* Neqve enim, prout idem erudite docet *d. l. §. 18.* auctoritas in modum principii activi fidem in nobis gignit; neqve est causa finalis, sive id cujus gratia credimus; sed *ratio sub qva & propter qvam credimus*; eoqve instar formæ, & *in tantum determinat ad credendum, in qvantum cognita est.* Hæc ille.

§. 7. Qva autem ratione innotescat historiæ scriptoris virtus & veracitas, optime docet Petr. Dan. Huetius *Demonstrat. Evangel. Axiom. I. & II.* qvorum primo declarat, *omnem librum esse*

esse genuinum, qvi genuinus habitus est ab omnibus proxime & continuata serie seqventibus eum ætatibus. Hoc axioma, pergit Huetius, si qvis vocaverit in controversiam, jam certum nihil habebit in literis. Cæsaris Commentarios genuinos esse, non aliunde scio, qvam ex proxime conseqventium ætatum, aliarumqve iis succedentium constanti testimonio. Nam genuinos agnoscunt Cicero, & Hirtius, ac deinde Strabo, tum Svetonius & Plutarchus & Grammatici postmodum veteres; ac reliqvi sublnde ad hanc usqve ætatem. *Ita Huetius:* Qvi eodem modo Philippum Cominæum Historiæ Ludovici XI. Galliarum regis, qvæ ei tribuitur, verum auctorem esse ostendit: Et S. Augustinum adducit eadem methodo utentem: *Platonis*, inqvit, *Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumqve ejusmodi auctorum libros, unde noverunt homines qvod ipsorum sint; nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua?* Hæc Augustinus *lib. 33. adv. Faustum cap. 6.*

§. 8. Qvod si qvis, pergit Huetius, ne id qvidem ad fidem faciendam satis firmum putet, videat qvo argumento probare possit, proavita bona hæreditario jure ad se pertinere: *Nec tutior est enim publicarum tabularum aut domesticorum instrumentorum auctoritas, qvam historia, imo etiam infirmior; Illorum enim custodes sunt pauci homines & obscuri, hujus vero universus orbis.* Hæc ille d. l. ubi & qvæ seqvun-

tur ad ſolvendam objectionem de libris ſuppoſititiis pertinentia, admodum erudita ſunt.

§. 9. Secundum doctiſſimi Huetii axioma eſt: *Omnis hiſtoria eſt verax, qvæ res geſtas ita narrat, uti narrantur in multis libris coætaneis, vel ætati proximis qvæ res geſtæ ſunt.* Hoc pronunciato, pergit ille, & ſuperiore tota nititur Hiſtoriæ fides, totius antiqvitatis memoria. *Veracis* enim *hiſtorici judicium eſt, ſi de rebus iisdem omnes eadem dicant & ſcribant:* inqvit Joſephus lib. 1. contra Appion. Unde enim virum qvendam bello clarum, cui Cæſari nomen fuit, aliqvando vixiſſe ſcio? ex Cæſaris nempe ipſius Commentariis, ex Hirtii, Ciceronis, Bruti, Livii, Velleji, Lucani, aliorumqve ſcriptis, qvi vel temporum illorum qvibus Cæſar vixit, æqvales fuerunt vel ſuppares. Horum autem ſcripta genuina eſſe ex ſuperiore axiomate oſtenditur. Hæc è præclaro Huetii Opere decerpta, qvoniam cum meis de fide hiſtorica eodem qvo ipſe ſuas primum edidit tempore collectis meditationibus plane conveniunt, ſecundæ huic editioni inſerenda eſſe duxi.

§. 10. Atqve hæc omnia qvæ de exploranda auctoritate hiſtoriæ Scriptorum in genere ac in theſi dicta, recte ſe habere ſani judicii homo qvilibet facile largietur: At vero cum fides hiſtoriæ contradictorem habet, non qværitur de fide hiſtorica in theſi; ſed de hujus aut illius hiſtoriæ Scriptoris auctoritate:

ad

ad qvam excutiendam atqve examinandam, ex iis qvæ præmiſſa ſunt & jam ſeqventur fundamentis oportet procedere.

§. 11. Ad fidem igitur & veritatem eorum qvæ aliqvo volumine hiſtorico continentur, docendam, opus eſt primum qvidem producere codicem ſi non autographum, genuinæ tamen editionis, non corruptum, non mutilatum, non variatum, non adulterinis additionibus textui citra diſcretionem admixtis vitiatum; ſed probatum judicio eorum qvi ſine amore & odio de veritate ac bonitate hiſtorici voluminis ſincerè & vere judicare præſumuntur. Inter codices diverſos vetuſtior ſolet eſſe fide dignior; qvod præclarè oſtendit Tertullian. adverſ. Marcion. lib. 4. c. 4. relatus à P. G. Tholoſan. *de Republ. lib. XII. C. VII.* ſeqq. verbis: *Ego meum* (codicem) *dico verum, Marcion ſuum: Ego Marcionis affirmo adulteratum, Marcion meum: Qvis inter nos determinabit niſi temporis ratio? ei præſcribens auctoritatem qvod antiqvius reperietur, & ei præjudicans vitiationem qvod poſterius revincetur: In qvantum enim falſum corruptio eſt veri, in tantum præcedat neceſſe eſt veritas falſum. Prior erit res paſſione, & materia æmulatione.*

§. 12. Deinde opus qvoqve eſt doceri, id qvod ab hiſtorico traditum eſt, ab eo ſciri potuiſſe; idqve qvia vel in eodem loco, vel in vicinia vixit, ubi res geſta, vel qvia relationes eorum qvi jurejurando ad veritatem fidemqve ad-

adſtricti, aliaqve documenta publica aut fide digna inſpiciendi copiam habuit. *Quin imò in factis antiqvis libri hiſtoriales & chronica quibus ab antiqvis adhibita eſt fides, habent vim probandi, licet auctores eorum narrent non ſolum per ſe viſa, ut Dares Phrygius, ſed & ea qvæ acceperunt ab aliis dicentibus vel ſcribentibus*; ita Felin. *ad c. cum cauſam. 13. n. 1. Xtr. de probationibus.* conf. ſupra *C. IV. §. 5. 6.*

§. 13. Atqve illam ſcientiæ ſuæ cauſam hiſtoriæ ſcriptores accurati in ſuis commentariis hiſtoricis demonſtrare conſueverunt, provocando vel ad alios hiſtoricos vel chronographos fide dignos, vel ad inſtrumenta actaqve & monumenta publica, ſcripturasve alias antiqvas ac fide dignas; vel ad ἀυτοψίαν fidemqve oculatam; docendo, ſe præſentes fuiſſe & vidiſſe ea geri qvæ narrant, vel ad relationem publicamqve famam, uniformem ac permanentem. Ita ſuperiori ſeculo Joh. Aventinus Annales Bojorum ſcripturus, *Totam*, ait, *Bojariam perluſtravi, omnia contubernia ſacerdotum penetravi, ſcrinia, publicas bibliothecas omnes curioſius perſcrutatus ſum; libellos, codicillos, donaria, commentarios, faſtos, annales omnium gentium, diplomata, inſtrumenta publica & privata evolvi; ſigna, ſacra, lapides, trophæa, epigrammata ſepulchrorum, picturas, inſcriptiones, titulos, templa, omnia denique antiqvitatis monumenta exploravi atqve perſpexi; nihil intactum, nihil intentatum reliqvi. Omne genus ſcriptorum excuſſi, omnes pe-*

ne

ne angulos perreptavi : ubi certa deerant monumenta, famæ rerum ſtetimus. Ad ſimile inſtitutum Gu. Camdenus, *omnia*, ait, *undiqve ad ſcribendum ſubſidia conqviſivi, regum, & magnatum diplomata, literas, conſultationes in Regio conſiſtorio, Legatorum documenta & epiſtolas ſedulò volvi & revolvi: Parlamentaria Diaria, Actus & ſtatuta percurri, & ſingula edicta perlegi.* Hactenus illi in ſuorum annalium præloqviis.

§. 14. Philippus autem Cominæus Ludovici XI. Francorum regis hiſtoriam conſcribens *qvod primævam qvidem ejus ætatem attinet*, ait, *non potero vel alia vel plura tradere, qvàm ex eò narrante audita percepi ; qvæ verò poſtinde geſſerit, ex qvo officiis ejus ego admotus ſum, ad finem usqve vitæ, cui præſens adfui, non video qvis ferè poſſit ea literis mandare diligentiùs me, qvi frequentius familiariusqve qvovis alio ei converſatus ſum &c.* Plures etiam ex antiqvitate adduci poſſent hiſtorici qvi res partim ſibi viſas ſuoqve tempore geſtas, partim vetuſtiores ſuâ ætate ex monumentis publicis, actis, documentisqve aliis fide dignis conſignârunt, niſi ratio inſtituti mei prolixitatem excluderet.

§. 15. Sed & anonymorum commentarii, libriqve chronici qvorum ſcriptores ignorantur, ad rerum geſtarum veritatem docendam poſſunt eſſe idonei, ac revera ſunt, niſi evidens cauſa falſitatis ſit conſpicua, & ſi fama conſentiens eorum fidem confirmet. Bene Hugo Grotius de V. R. Chr. lib. III. §. 4. *in ſcriptori-*

ptoribus, ait, *qualitas magis quàm nomen attenditur. Itaque multos historicos recipimus quorum scriptores nescimus; ut de bello Alexandrino Cesaris: nempe quia videmus eum, quisquis fuit, & illis vixisse temporibus, & rebus interfuisse.* Quippe ut Felin. *ad c. ex parte Xtr. de rescriptis* in fine, rectè docet, *non est de essentia Chronici, quòd sit ei inscriptum nomen auctoris.* In dubio enim veracis & minimè ambitiosi scriptoris argumentum est, si nomen suum historiæ à se conscriptæ non præfixerit, offensas & odia queis veritas se exponit, à personâ & familiâ suâ eò ipsò declinaturus.

§. 16. Præ cæteris autem illi rerum suo ævo vetustiorum scriptores fidei historiæ suæ meliùs consulunt, qui singulis narrationibus causam scientiæ suæ adjiciunt, sive illas allegationes inserant ipsi textui, sive in margine easdem exprimant. Quamvis enim hujuscemodi allegationnum emblemata ingrata sint lectori qui ex variorum casuum lectione solam voluptatem captat; cui propterea perinde est sive Thuanum legat, sive Herculem aut Herculiscum; ei tamen nuda & sine teste, sine documento, sine idoneâ scientiæ causâ prolixè composita narratio satisfacere non potest qui historiæ fidem & veritatem quærit. Proinde licet magnam industriæ suæ laudem meruit Joh. Aventinus conscriptis Annalium Bojorum septem libris; majorem tamen eis auctoritatem conciliaturus erat, si, quod fecit,

non

non tantùm ſingulis libris præmiſiſſet catalogum auctorum qvos ſecutus eſt, ſed ſingulis potiùs narrationum membris & articulis adjeciſſet mentionem auctorum; ut lectori ſtatim poſſet apparere qvo vel teſte, vel documento qvælibet narratio nitatur. Qvâ ratione Chriſtoph. Lehmannus Chronicon Spirenſe eiqve inſertam Imperii Rom. Germanici hiſtoriam concinnavit; qvi pro muneris ſui ratione, (fuit autem Secretarius Imperialis civitatis Spirenſis, prout ex ſubſcript. Receſſ. Imp. *de anno 1613.* conſtat,) non ignoravit, qvâ formâ tùm alia tùm & hiſtorica monumenta in præſens & venturis ſeculis fidem habitura componi deberent. Interim grata qvoqve poſteritas ſuſcipit Aventini aliorumqve in hiſtoria componenda collocatos labores; qvorum commentariis, ſi nihil aliud, certè præſumtio diligentiæ auctoris in inqviſitione veritatis, & conſentiens fama fidem accommodat.

§. 17. Cùm igitur hoc & ſuperiori ſeculo graves viri perſpectas haberent exceptiones qvæ libris hiſtoricis & chronicis interdum jure, interdum per injuriam objiciuntur; ipſi ſuos labores extra illos inſultus in tuto, qvantum licuit, poſituri, non qvidem hiſtoricos commentarios, ſed tantum collectiones actorum, ſcriptorum, documentorum, decretorum, memorialium, protocollorum &c. ediderunt, eoqve ipſò hiſtoriam ſcripturis materiem & ſubſidia ſuppeditârunt, ipſi interea cuilibet lectori judicium

judicium integrum relinqventes. Et hujus generis sunt tum *de Pace religionis acta publica & originalia* à jam laudato Christophoro Lehmanno collecto & edita; tùm à supra memorato Michaële Casp. Londorpio, hujusqve in eodem negotio successore collecta acta publica, tum Diarii Europæi numerosa volumina; de qvorum fide jam supra c. VII. §. 18. actum est.

§. 18. Ulterius qvoqve ad fidem alicui historico libro conciliandam demonstranda est scriptoris probitas & integritas, animusqve à studio mentiendi alienus *qvi*, ut Melch. Canus *d. tr. c. 6.* docet, *licet aliqvando in scriptis ipsis eluceat, famâ tamen qvoqve & grav latqve frequenti præteritorum hominum testimonio cognoscitur*, conf. Henr. Michaëlis *Respons. Kilon. XIV. p. 81.* & qvæ paulo ante §. *15.* dicta, & *cap. IIX. c. 17.*

§. 19. Qvi autem scriptori de sui ævi rebus gestis ea qvæ aliqvam partem aliunde nota sunt scribenti falsum objicit, cum omne falsum aut ab ignorantia aut à mala voluntate proficiscatur; alterutrum horum docere debet: nec enim prudens homo ignorare præsumitur qvod omnes in civitate vel in provinciâ sciunt, arg. *l. 9. §. 2. ff. de Juris & facti ignorantia.* In rebus verò antiqvioribus haud rarò plures in eandem rem scriptores solent concurrere, inter qvos latere vel obscurus esse non potest is qvi documentis aut testibus melioribus nititur, cujus inde narrationi potior lux veritatis assistit. Sed

qvi

qvi hiſtoricum, uti & qvemvis teſtem, ex parte voluntatis refellit, *neceſſe eſt aliqvid afferat, qvò voluntatem credibile ſit à vero dicendo diverti:* H. Grot. *de V. R. Chr. lib.* III. §. *VI.* Nam ſi careat ſuſpicione teſtimonium vel *propter perſonam*, à qva fertur, qvòd honeſta ſit, vel *propter cauſam*, qvod neqve lucri, neqve gratiæ, neqve inimicitiæ causâ fit, admittendum eſt, *l. 3. pr. ff. de teſtibus.* Ipſum tamen vitæ genus hiſtoriæ ſcriptorem in ſuſpicionem poteſt adducere. *Cum enim*, ut Lucianus de ſcribenda hiſtoria, *unum*, ait, *hiſtorici opus ſit, ut qvæqve perinde ut facta ſunt, exponat: Hoc*, addit idem, *facere non poterit, donec vel Artaxerxem metuerit, medicus ipſius exiſtens, vel ſperat candyn purpureum, & torqvem aureum, & eqvum ex Niſæis illis aliqvem ſe accepturum eſſe, mercedem videlicet laudum earum, qvas ſcriptis inſeruiſſet. At neqve Xenophon illud faciet, juſtus ſcriptor, neqve Thucydides &c. ita ille.*

§. 20. Qvodſi igitur omnia, qvæ ad confirmandam auctoritatem alicujus Hiſtoriæ Scriptoris reqviruntur, momenta concurrant; tunc qvidem fides ejus certa atqve indubitata eſt; Illa certitudinis ſpecie qvæ *moralis* dicitur. Neqve admittendus hic eſt fanaticus, Scepticus & Sophiſta; à qvo genere hominum nihil certum atqve indubitatum eſſe ſtatuitur; inſano qvodam contradicendi pruritu. Communiter qvidem naturalium principiorum cognoſcendi tripartita certitudo per-

hibetur; moralis, phyſica & metaphyſica : P. Muſæus Diſpp. Theolog. II. *Cap. V.* §. *32.* P. Hurtad. de Mendoza *Diſpp. in univerſ. philoſ. part. poſt. de anima diſp. IIX. Sect. III.* Moralis ac phyſica certitudo qvænam ſit, *Cap. 2.* § *6.7.* ſupra indicatum eſt: Metaphyſica autem certitudo talis ac tanta eſſe dicitur, *ut omnino repugnet aliter ſe habere*; qvam qvæ ſibi vendicant principia, adeo ad verum determinata ſunt, ut per nullam, ne qvidem Dei, potentiam in alteram contradictionis partem flecti & ita à veritate disjungi poſſint: ita Muſæus *d. l.*

§. 21. Ac licet *moralis* certitudo infimum, *phyſica* medium, *metaphyſica* ſummum certitudinis gradum obtinere communiter exiſtimetur; Revera tamen & in morali certitudine dantur gradus; & multa qvæ moraliter certa ſunt, ſuæ certitudinis gradu æqvalia ſunt, ſi non præcellunt, iis qvæ phyſice certa habentur: Sic Mendoza loco ante allegato *Sect III.* §. *18.* evidentiam qva credo Romam eſſe, ob teſtimonium tot hominum id atteſtantium, phyſicam eſſe contendit: *Qvia*, ait, *impoſſibile eſt phyſice loqvendo, tot homines tot ſeculis eſſe mentitos : Unde non habeo minorem evidentiam* Romam eſſe, *qvam omnem ignem eſſe calefactivum* : conf. idem Mendoza de anima *Diſp. IX. Sect. 6. ſubſect. 4.* §. *70.* ac his congruunt ea qvæ ſupra *Cap. V.* §. *17.* dicta.

§. 22. Luculentiſſimus hanc in rem locus eſt Velthuſii in *tr. de munere Paſtorali cap. 2.* qvem

qvem licet prolixiorem hoc tamen loco omnino legendum exiſtimo: Si eam, inqvit, certitudinem moralem appellare lubet, cujus oppoſitum non niſi manifeſtam implicat repugnantiam & contradictionem, concedimus argumenta qvibus fides noſtra reiqve veritas innititur, non eſſe talia, ut rem qvam probant aliter ſe habere impoſſibile ſit: Veritates enim & res qvasdam dari conſtat qvæ ratione eſſentialium naturaliumqve proprietatum aliis qvam *moralibus argumentis* probari nec poſſunt, nec debent: Et in qvibus alia ac modo dicta argumenta deſiderare ſummæ foret inſaniæ. *Bis tria conficere ſenarium*, veritas eſt adeo certa, rationesqve & argumenta ex qvibus cognoſcitur & infertur, ſunt adeo firma, ut eam aliter ſe habere ſit impoſſibile: Sed qvi dicit bellum fuiſſe inter Galliarum ac Hiſpaniarum reges, qvendam fuiſſe Julium Cæſarem, Auguſtum, Antonium, eoqve argumenta adfert, is etiam loqvitur veritatem, qvæ adeo firma & certa eſt, ut rerum ejusmodi certior dari neqveat. Sed argumenta ad eam probandam allata tamen non ſunt talia ut ea negans cogeretur admittere contradictionem. Qvanqvam enim *incomprehenſibile* ſit *qvomodo tot perſonæ inter qvas nulla ſermonis fuit communicatio, qvæqve nullam ex mendacio utilitatem conſeqvi potuerunt, poſſent convenire ad affirmandum* (*qvod tamen falſum foret*) bellum e. gr. fuiſſe inter Gallias & Hiſpanias; *id tamen ab-*

ſolute non eſt impoſſibile, uti repugnat bis tria non conficere ſenarium. Neqve talis relationis inficiatio tantam involvit contradictionem ac negatio dicti qvod bis tria ſint ſex. Tot enim homines ſimul mentiri non adeo impoſſibile eſt, ut qvis tot hominum teſtimonium, rejiciens manifeſtam cogeretur admittere, contradictionem: id tamen negare nullus poteſt ſine nota inſignis contumaciæ, qvia qvi id iret inficias, nullum argumentum, vel minima veriſimilitudine affectum, adferre poſſet in medium, qvo jam dictæ hiſtoriæ fides labefactari poſſit. Hæc Velthuſius.

§. 23. In qvantum vero hiſtoria qvædam dictis ad auctoritatem ſuam ſtabiliendam momentis deſtituitur, in tantum qvoqve fides ejus ab illa certitudine abeſt, qvæ dubitationi juſtæ locum non relinqvat: ac remanebit tunc probabilitas cum formidine oppoſiti conjuncta. Qvi diverſi gradus fidei hiſtoricæ ſæpe occurrunt in uno eodemqve hiſtoriæ ſcriptore: Cujus rei cauſas *Cap. IIX. §. 4. ſeqq.* tradidimus; qvæ & è cap. XI. clarius patent.

§. 24. Atqve ex his manifeſtum eſt qvibus argumentis hiſtoriæ à ſe allegatæ fidem confirmare debeat vel actor vel reus, & qvisqvis ex hiſtoriâ vel chronico libro ſuas allegationes deducit, cauſamqve ſuam inſtruit: Ex iisdem verò hiſtoriæ tùm veræ tùm ſuſpectæ criteriis judicem æſtimare oportet, qvid aut credat, aut parùm probatum ſibi opinetur. *l. 3. §. 2. ff. de teſtib.*

CAPUT

CAPUT X.

Solutio rationum dubitandi de fide historica.

1. *Prima ratio dubitandi solvitur.*
2. *Solvitur secunda ratio dubitandi.*
3. *Seneca testimonio respondetur.*

Seneca in historicos Græcos quodammodo injurius.

4. *Novâ ratio dubitandi producitur ex lubrico testium.*

Alia insuper ex Rescripto Hadriani.

5. *Solvitur prior illa.*
6. *Solvitur hæc posterior §. 12.*

Testimonium per scripturam perhibitum plenam fidem non facit.

Testis in judicio præsens vivâ voce testimonium dicere debet, idque auctoritate legum. §. 4. 6. canonum §. 7. Doctorum §. 6.

7. *Ostenditur, locum illud habere in causis civilibus pariter & criminalibus.*

Exceptiones illius regulæ vix dari.

8. *Peritus in arte, secundum artem suam deponens, non est propriè testis, sed potius judicium suum & in scriptis judici offert.*
9. *Unaquæque persona publica potest extrajudiciale attestatum fide dignum conscribere de eo actu qui spectat ad cjus officium.*

Sigillum officii publici est authenticum, & plenam fidem conciliat scripturæ cui vel impressum vel adpensum.

Sigillum scripturæ vitiosum qvoruplex.

10. *Attestatum de actis*

ad officium attestantis non pertinente conscriptum ne quidem semiplenam facit probationem.

Ratio hujus sententiæ.

Nec consvetudine induci posse ut testis per scripturam deponat.

Fides non facit fidem.

§. 11. *Respondetur ad dubitationem de communi Dd. sentent. §. 6. relatâ, à Bart. ex* l. Theopompus *deductam.*

Fides in judicio facienda judici, non adversario.

12. *Attestationes ambitiosas ab historicis monumentis diversas esse.*

§. I.

IGitur veritati fideiqve historicæ hactenus non obstant ea qvæ ad eandem dubiam reddendam à nonnullis jactari supra c. IV. diximus: Licet enim relationes hominum haud rarò falsæ sint, hoc tamen saltem est intelligendum de primis relationibus vanorum hominum, aurasqve populares captantium, & de famâ adhuc recente ac velut momentaneâ. Graves autem historici non nisi relationes satis superqve confirmatas famamqve corroboratam ac secum undeqvaqve consentientem, qvalis fidem rerum gestarum confirmare idonea est, (*vid. supra cap. IV. §. 4. 5. 6. cap. V. §. 19. 20.*) literis ac memoriæ produnt; & si qvid incertis auctoribus acceptum posteritati tradunt, hoc simul indicare consueverunt, nec postulare fidem sibi adhiberi in illis qvæ ipsi non satis comperta habent.

§. 2.

§. 2. Qvòd nonnullarum traditionum, qvæ aliqvando pro veris habitæ, falsitas detecta sit, ultrò fatemur: Sed ejusmodi narrationes pro veris sunt habitæ ex qvadam simplicitate superiorum seculorum, & securitate atqve oscitantiâ supervenientium; dum unaqvæqve traditio ad veritatis stateram rigidius, uti par erat, non examinata; donec tandem, majore solertiâ antiqvitatis fide explorata, vera à falsis, dubia à certis segregari cœperunt. Cumqve uti supra *C. IIX. §. 11. 18.* demonstratum, hominum industriâ conscriptæ historiæ fides dividua sit; qvod præter rationes & sententias supra alleg. Azo qvoqve in BROCARDICIS, *de Scripturis rubr. 39.* sua auctoritate comprobat; licet una atqve altera traditio ab iis qvi idoneam suæ scientiæ causam allegare non potuerunt, posteritatis credulitati impressa, recentioribus seculis falsi convicta, & nunc demum ex veritatis albo rectè sentientium suffragio deleta sit; reliqva tamen idoneis argumentis subnixa antiqvitatis memoria hactenus stat inconcussa, per ea qvæ supra c. IIX. §. 6. 11. 18. 19. demonstrata sunt.

§. 3. Senecæ judicio omnes in universum historicos falsitatis damnari à verò alienissimum est: Locus, ubi auctoritatem Ephori elevat, satis declarat eum loqvi de Historicis Græcis; qvos tamen ille omnes in universum minus rectè mendacii insimulat, cum nonnulli inter eos sint religiosissimæ fidei scriptores, prout supra c. IIX. §. 12. ostensum. Sic autem

ait Seneca: *VII. N. Q. c. XVI. Quidam incredibilium relatu commendationem parant, & lectorem aliud acturum, si per quotidiana duceretur, miraculo excitant: Quidam creduli, quidam negligentes sunt, quibusdam mendacium obrepit, quibusdam placet: illi non evitant, hi appetunt. Et hoc in commune de totâ natione, quæ approbare opus suum & fieri populare non putat posse, nisi illud mendacio adsperserit. Ephorus verò non religiosissimæ fidei, sæpe decipitur, sæpe decipit.* Hujusmodi autem levioris notæ scriptores, qvi tales convicti sunt, aut convinci possunt, à testimonio veritatis jam supra exclusi sunt; ubi solis illis vindicatur historica fides, qvi rerum, qvas narrant, veritatem perspectam habuisse, nec ullo affectu depravato à veritatis tramite seducti intelliguntur. vid. supra *c. VII. §. 5. & cap. IIX. §. 4. 11. seqq.*

§. 4. Magis urgere videtur qvod ex lubrico testium decantatæ fidei historicæ potest objici: Nam si testium dicta nonnunqvam reperiuntur falsa, qvi tamen jurati deposuerunt, qvomodo non & testimonia historicorum levia censebuntur? *Quasi qvi jurati nesciunt verum dicere, ubi & redargui in os possunt ab offensis, & puniri à judicibus, iidem injurati, nec arguendi fortè nec puniendi verum amabunt?* Ira Alberic. Gentil. *de arm. Rom. lib. 1. c. 1.* Et ipse Hadrianus Imp. Junio Rufino Proconſ. Macedon. rescripsit, *l. 3. §. 3. ff. de testib. TESTIBUS SE NON TESTIMONIIS CREDITURUM*; Qvod velut extripode dictum innumerabilibus Jureconsultorum suffragiis celebratur. §. 5.

§. 5. Qvod vero de lubrica teſtium fide aſſertur, tum demum locum in hiſtoricis invenit, cum illi iisdem cauſis à veritate divertuntur, qvibus teſtes inducti fallunt: Ubi verò neqve ignorantiæ, neqve corruptelæ, neqve gratiæ, neqve inimicitiarum, neqve metus aliqva gravis ſuſpicio de hiſtorico doceri poteſt, nec is præſumi debet mentitus eſſe; uti & teſtimonium qvod ſuſpicione caret, admittendum eſt, *l. 3. pr. ff. de teſtibus.* Hiſtoricus qvoqve non eadem, qva teſtis in privato obſcuroqve ac forenſi negotio, ſecuritate mentiri poteſt in negotiis plerumqve notoriis ac talibus qvæ non ſolam illius ſed plurium conſcientiam tenent, qvin ſtatim experiatur contradictiones & reprobationes intelligentium, cum æterno fidei & exiſtimationis ſuæ detrimento, ac macula indelebili.

§. 6. Hadriani Imp. Reſcriptum de teſtimoniis qvæ recitari ſolent intelligendum eſt: *Alia eſt auctoritas præſentium teſtium, alia teſtimoniorum qvæ recitari ſolent. d. l. 3. §. 4. ff. de teſtib.* cui ſententiæ ſubſcribit Calixtus Papa: *Teſtes per qvamcunqve ſcripturam teſtimonium non proferant, ſed præſentes de his qvæ noverunt & viderunt, veraciter teſtimonium dicant. c. 15. teſtes Cauſ. 3. qv. 9.* Et Damaſus Papa *c. 3. relatum C. V. q. 2.* his verbis: *Unde Canonica Patrum conſtituta non ſemel, ſed ſæpiſſime clamant, nec accuſationes, nec teſtimonium ullum per ſcripta poſſe proferri.* Idem Reſcriptum Hadriani canonizatum eſt in *c. 8. Tua nos Xtr. de cohabitat. clericor. NON*

TESTIMONIIS SED TESTIBUS JUDICANDUM. Inde verò concludunt interpp. *Qvod si testis scripsit testimonium suum & tradit illud judici in scriptis, vel eidem legit, non valere ejus testimonium*, Felin. *ad c. de testibus 29. n. 7. Xtr. de testibus*, Sichard. *ad rubr. C. de testibus n. 2.* Prosp. Farinac. *de testib. qv. 80. oppos. 35.* Gail I. *Obs. 100. n. 21.* Fr. Hiltrop. proc. judic. *p. 3. t. 9. c. 6. n. 139.* Merkelbach. ap. Klock. *Vot. Cam. Relat. 2. n. 7.* Fulv. Pacian. *de probat. lib. I. c. 47. n. 80.* Matth. Wesenb. *p. V. Cons. 234. n. 35. 36.* ubi ex Covarruv. *V. R. lib. 2. c. 13. n. 6.* aliisqve ibi allegatis ostendit, hanc esse communem Dd. sententiam, licet Bart. in *l. Theopompus 14. ff. de dote præleg.* ei non consentiat.

§. 7. Et sic qvidem testificatio qvæ fit in figurâ judicii, per testem præsentem, juratum & viva voce ad articulos & interrogatoria respondendo expediri debet in civilibus non minus qvam criminalibus causis Fatinac. *l. c. n. 45.* idqve propter generalitatem prædictorum textuum. Dictæ verò communi Dd. sententiæ nonnullas ipsimet interppr. memorati exceptiones subjiciunt, enumerantqve casus qvibus testis per scripturam judici oblatam testificari & fidem facere possit; qvorum tamen plurimi aut non sunt de regula, aut firmis haud nituntur rationibus, prout ostendit Ilic. Umm. *Disp. ad proc. 16. n. 79.*

§. 8. Namqve qvod ex *l. 2. pr. ff. si mensor &c.* Felin. *l. c. n. 11.* & Farinac. l. c. n. 42. inferunt,

ferunt, *Qvando teſtes deponunt de* (potius *ex*) *peritia artis, poſſe deponere ver ſcripturam*; obſervandum hîc eſt, qvod Bart. *ad l. jurisjurandi c. de teſtib.* monet, peritos illos adhiberi *non ad teſtificandum propriè, ſed ad judicandum ſecundum peritiam artis ſuæ.* Unde accuratior Fulv. Pacian. *d. l.* I. *c. 47. n. 81.* ait: *periti in arte poſſunt judicium ſuum & atteſtationem ſuam deponere in ſcriptis, & eam tradere judici.* Videlicet depoſitio periti in arte poſtulatur non de facto aut operis exiſtentia, ſed aut de ejus conformitate cum regula artis; aut de operis precio, cum periti in arte ad certam rem taxandam adhibentur: qvo tamen caſu jurejurando adiguntur ad juſti precii indicationem, & aliæ qvoqve adhibentur cautelæ ad præcavendam colluſionem; inter qvas hæc qvoqve eſt ut periti illi in diverſas claſſes diſponantur, ut non poſſint unum eundemqve meditatum ſermonem proferre; id qvod & in teſtibus obſervandum, ut ſingulatim in ſecreto examinentur. vid. infra *h. c.* §. *11.*

§. 9. Qvod autem Farinac. *d. l. n. 34.* tradit, *fidem haberi literis & atteſtationibus Epiſcopi factis de iis qvæ ſpectant ad ejus officium*, hoc ad extrajudicialia atteſtata, ut vocantur, pertinet; & videtur idem locum habere in unaqvaqve perſona officium vel miniſterium publicum gerente, qvod de eo actu qvi ſpectat ad ejus officium, ſcilicet ut de eo vel cognoſcere vel ſtatuere, vel minimum eum exeqvi poſſit, teſtimonium fide dignum in ſcriptis perhibere qveat,

qveat, cumprimis si & sigillo officii (siqvidem officium cum jure sigilli conjunctum gerat) attestatio munita sit. *Sigillum* enim *publicæ personæ scripturis qvibus adpenditur, formam tribuit*; & alias *in dubio in vim auctorizationis sigillatio procedere intelligitur*, Dn. Refer. ap. Klock. *Vot. Cam. Relat. 2. n. 63. 64.* conf. ibid. *Rel. VII. n. 198.* & plenam fidem facit scriptura tali authentico sigillo munita, si adversarius docere non possit, vel judex ipse non advertat instrumentum vel sigillum aut esse adulterinum, aut alio modo vitiosum, prout ostendit Fr. Hiltrop. *Proc. jud. p. 3. t. 12.* conf. & eund. *p. 3. t. 23.*

§. 10. Qvod si verò persona vel publica vel privata, de actu ad officium suum non pertinente, sed de extraneo negotio aut qvalitate vel rei vel personæ attestationem conscribat, huic ea fides non inest, qvam juratis testium dictis inesse constat. *Certi qvippe sumus*, ut rectè dicit Fulv. Pacian. de Probat. lib. I. c. IX. n. 23. *qvod attestationes, testimonia, & sermones extrajudiciales plerumqve fiunt ad complacentiam amicorum, & multi profusè & inconsiderate loquuntur extra judicium in favorem partis, qvi, si postea ducerentur in judicium, strictius & maturius, vigore juramenti, rem ipsam considerarent.* Ita F. Pacianus, Felin. ad *cum in tua 44. n. 6. & 8. Xtr. de testibus*, suæ sententiæ auctorem laudans. Et hac potissimum ratione motus videtur Ilic. Umm. *l. c. n. 79.* existimans, consuetudine induci non posse, ut testis per scriptu-

ram

ram deponat, ne qvidem si foret persona spectatæ fidei, vel in dignitate posita: Scitum est qvod Farinac. l. c. n. 32. tradit; ejusmodi chartulas in qvibus unus vel plures, non coram judice, sed absentes à judicio faciunt pro veritate fidem super aliqva re, ab Italis *fides* appellari; unde natum proverbium, *fides non facit fidem*; qvod in omnes ambitiosas attestationes qvadrare videtur. Et nec semiplenam facit probationem ejusmodi schedula qvasi in vim testimonii conscripta; unde & juramentum suppletorium super tali attestato deferri non potest, Wesenb. *d. cons. 234. vol. 5. n. 37.*

§. 11. Qvanqvam autem jam allegatâ lege *Theopompus 14. ff. de dote prælegata*, qvæ Bartolum ad divortium à communi Dd. sententia impulit, contineatur casus testificationis per scripturam factæ, sed qvæ ab ipsa lege vim probandi accepit; hæc tamen attestatio à Polliano jurato scripta est, & de eo qvod spectabat ad ejus officium; nimirum fidei ejus à Theopompo commissum; id qvod indicant verba codicillorum Theopompi d.l. relata; *providebit tradi Pollianus, sciens mentem meam &c.* vid. Alciat. *Parerg. Juris lib. 2. c. 19. in fin.* Etsi vero & ad testis officium pertineat testimonium perhibere si in judicio productus sit & à judice non rejectus; hoc tamen officium non parti extra judicium, sed judici debetur. Nam de facto controverso in judiciis facienda est fides judici, non adversario, *l. 12. ff. de probat. l. 83. §. 1. ff. de V. O.*

V. O. Oldend. *de probat. dict. & fact. t. quid sit probatio.* Ilic. Umm. *Disp. 15. n. 3.* Fr. Hiltrop. *proc. judic. part. 3. tit. 8. pr. n. 6.* Tancred. *de Ordin. judic. lib. 3. tit. 5.* Judex autem inprimis illud obſervare debet, ne aliter vel cognoſcat, vel judicet, qvam legibus, aut moribus, aut conſtitutionibus proditum eſt. Et ad veritatem rei ex teſtibus diſcendam præcavendum eſt, ne teſtes poſſint *unum eundemqve meditatum ſermonem* afferre; ſed cogendi potius hi ſunt ut *ad interrogata ex tempore reſpondeant, d. l. 3. §. 1. ff. de teſtibus.* Id qvod non obtinetur ſi permittatur teſti ſcripturam & commentarium ſui teſtimonii componere.

§. 12. Omnia verò iſta de atteſtationibus non vivâ voce, ſed per ſcripturam editis §. 10. & 11. tradita, ad monumenta hiſtorica haud pertinent; qvæ non ad complacentiam amicorum, vel patronorum, ſed ad memoriam ſeculorum conſcripta ſunt: Et ſi qva fortè hiſtoria qvoqve in unius Reip. vel Principis favorem & alterius odium compoſita publicetur, hujus ſubleſta fides diu occulta eſſe non poteſt, propter rationes *h. c.* §. 5. & ſupra *c.* VII. §. 8. oſtenſas.

CAP. XI.

CAPUT XI.

Qvibus rationum momentis historica fides ejusqve gradus expendi debeant, veraqve historia à fabulosâ narratione dijudicetur.

1. *Nullam historiam fide dignam esse nisi qvæ idoneo suæ veritatis testimonio subnixa.*

Differentia inter testimonium divinum & humanum.

2. *Historicæ veritatis indubitata lex qvinqve conditionibus nititur.*

In examinandâ veritate historicâ distinguenda est probatio facti ab ejus qvod fieri potuit allegatione.

3. *Qvibus argumentis res à suo loco, aut à suæ ætate remotas historicus doceat.*

Famæ veritas ab ejus vanitate qvâ ratione distinguenda.

4. *In commemoratione factorum obscurorum qvomodo sese gerere debeat historiæ scriptor.*

5. *In factis qvædam aperta, qvædam occulta esse: & qva ratione hæc doceantur.*

Qvales conjecturæ in facti occulti circumstantiis investigandis locum inveniant.

De C. Tacito siniſtrum G. Scioppii judicium.

§. 6. *Unde constet scriptorem ex amore aut odio veritatem non dissimulâsse.*

§. 7. *Levior in ejusdem facti à diversis auctoribus memorati narratione diversitas falsitatem facti non arguit.*

§. 8. *Qvibus argumentis doceatur scriptoris ma-*

Digitized by Google

maxima in historiæ scriptione fides & diligentia.

Historiæ perfectæ partes integrantes.

9. *Imperiti scriptores historiæ magnam posteritati caliginem relinquunt.*

§. 10. 11. *Rerum vetustarum recens scriptor quâ ratione historiæ suæ fidem conciliet.*

Duplex ratio perveniendi ad rerum vetustarum notitiam.

De Pauli Æmilii Historico opere judicium.

§. 12. *Quinam recentes vetustarum rerum scriptores fidem mereantur aut non mereantur.*

§. 13. *Recens conscriptas vetustarum rerum historias cum judicio legendas.*

14. *Optimæ leges examinandæ veritatis historicæ duabus nituntur rationibus.*

15. *Quotuplicem historicus suæ scientiæ causam allegare possit.*

Causarum illarum alia vera ist, alia putativa.

§. 16. *Historiarum, diplomatum, privilegiorum &c. scripturâ genuinæ à suppositiis quâ ratione discernendæ.*

De Pseudo-Beroso.

De Anastasii Vitis Pontificum.

§. 17. *Quænam argumenta falsitatis in specie ad diplomata, privilegia, instrumenta pertineant.*

§. 18. *Qui libri historici, quæ diplomata, privilegia &c. pro genuinis agnoscenda.*

In nonnullis genuinis alias historicis particulares corruptelas occurrere.

§. 19. *Quo argumento deprehendatur particularis depravatio libri.*

Quâ

Quâ ratione melioris notæ codex cognoſcatur.

20. *Quænam traditio genuina & veritatis nuncia cognoſcatur.*

21. *Quodnam ſit argumentum ſpuriæ traditionis. Quo caſu fama præſumtionem juris inducat.*

22. *Picturas & lapidum ac parietum inſcriptiones quæ ad fidem rei vetuſtæ faciendam allegantur, circumſpectè contemplandas eſſe.*

23. *Quales pictura rei vetuſtæ fidem facere ſint idoneæ.*

24. *Quo argumento ætas picturæ deprehendatur.*

25. *Rei vetuſtæ à vetuſtis ſcriptoribus ſilentio prætermiſſæ num recentes ſcriptores fidem poſſint facere?*

Argumentum ab auctoritate humanâ negatâ num ſit idoneum ad fidem faciendam?

Sententia Mareſii.

26. *Explicatur ſententia Mareſii.*

Argumentum ab autoritate negata certo caſu validum eſſe.

27. *Eruditorum judicio comprobatur vis dicti argumenti.*

Exempla demonſtrationum ab auctoritate negata.

28. *Uſus dicti argumenti in omnibus ſcientiis.*

29. *Quomodo formari debeat illud argumentum ut certiſſime concludat.*

30. *Omnis demonſtratio & omnis hiſtorica narratio poſtulat idoneam ſcientiæ cauſam.*

§. I.

EX omnibus hiſtoriis à qvocunqve demum ſcriptore conſignatis eas tantùm fide dignas eſſe, *quæ idoneæ* ſuæ veritatis

teſtimonio nituntur hactenus deductæ rationes invictæ evidentiſſimè confirmant. Qvæcunqve autem narratio hiſtoricæ veritatis examinandæ legibus haud congruit, eam contemnere & in album fabularum referre oportet. Divino qvidem teſtimonio, eò qvod fallere neſcium, citra omnem dubitationem, oportet fidem adhibere, dummodo conſtet divinum illud eſſe; Sed cum ignorantia, error & mendacium non minus, qvàm ſcientia & amor veritatis in homines cadant, utrum ex hoc an ex illo fonte oratio & ſcriptura fluxerint, ex iis argumentis qvæ ad verum à falſo ſegregandum in ipſa rerum natura fundamentum agnoſcunt, ſtatuendum eſt.

§. 2. Hæc igitur indubitata hiſtoricæ veritatis aſſerendæ lex eſt, qvam Vir harum rerum callentiſſimus Dn. P. Lambecius *lib. II. Rerum Hamburgenſ. n. 200.* ſic enunciat: De rebus antiqvis & ante memoriam noſtram geſtis præcipuam maximamqve fidem iis auctoribus adhibendam eſſe, qvi illis ipſis temporibus de qvibus agitur floruerunt; eorumqve teſtimonium omni exceptione majus eſſe, ſi ad *ætatis ſynchroniſmum* qvatuor hæc inſuper accedant; primum ea *vicinitas locorum*, ut vel intereſſe ſcriptores potuerint rei narratæ; deinde ea *claritas facti*, ut tempus aliæqve circumſtantiæ certò ſciri potuerint; tùm ea *qvalitas argumenti*, ut nec iræ nec ſtudio locus ſit: deniqve ea *narrationis fidelitas*, ut major accurati-

orqve

orqve non possit à diligentissimo qvoqve scriptore desiderari. *Hactenus Lambecius.* Similia docuit Doctiss. Parisiensis Theologus Joannes de Launoy *in dissertat, de vera causa secessus Brunonis in eremum cap. I. testim. I. p. 17.* Primum autem, ait, non qværimus, nec ab homine sapienti qværi necesse est, cum, qvin plures esse conversionis sancti Brunonis causæ potuerint, qvi dubitet, hactenus inventus sit nemo. Secundum igitur qværendum est, & *de ea qværendum ratione, qvæ qvod fieri potuit* in conversione S. Brunonis, *ab eo qvod re ipsa factum est, liqvido secernat.* Hæc autem ratio cum *in conditione facti* tantum versetur, ex iis petenda est scriptoribus qvi veram conversionis S. Brunonis causam certò noverint, aut certò nosse potuerint. Hujusmodi vero scriptores alii non sunt præter Brunonem ipsum, æqvales Brunonis, vel suppares. Ita accuratissimus ille vetustatis arbiter, & censor veritatis historicæ Launojus. Et ratio qvidem prædictæ legis supra *cap.* IX. jam reddita est.

§. 3. Qvod si ex illis in prædicta lege præter ætatis synchronismum notatis qvatuor conditionibus prima deficiat, nempe *vicinus loco, in qvo res gesta est*, scriptor non fuerit, ita ut αὐτοψία seu oculata fides narrationi desit, hunc defectum supplere potest allegatio scripturæ, testimoniive idonei ac fide digni; & hic qvoqve fama rem factam statim excipiens, ab hominibus suspicione carentibus orta, uniformis

mis deniqve & permanens, atqve ita diuturnitate & uniformitate comprobata vim probandi obtinet: *Fama inducit justam credulitatem qvando procedit à personis fide dignis.* Tabor analect. ad Barbos. lib. VI. c. IIX. c. ax. I. Mascard. concl. 749. Joh. de Launoy *d. r. c. 1. concl. n. 7. p. 73.* Cognoscendum verò est utrum revera qvoqve processerit ab iis personis à qvibus procedere dicitur. Rectè Baronius *ad ann. 604.* ut refert J. de Launoy *d. tr. c.* II. *in conclus. p. 95. Accidere interdum solet, aliqvid vulgo allatum, si qvis certos velit examinare testes, an verum sit, neminem id seriò testantem inveniat; fiatqve ut qvod ab omni dici jactatur, asseratur à nemine, rumorqve ille evanescat in auras.*

§. 4. Qvod si deficiat secunda ex memoratis conditionibus, *claritas* nempe *facti*, aut *circumstantiarum facti*, (esse enim qvædam facta plerumqve occulta, supra *C. V.* §. 3. ostensum est, siqvidem tale factum ad notorietatem juris perductum sit, certa ejus demonstratio à scriptore potest fieri. vid. supr. *C. V.* §. *9. 10. seqq.* sin factum aut circumstantiæ qvalitatem facto inducentes, rumoribus differantur, examinandus est ille rumor à gravi scriptore historiarum; & eò qvidem modo uti §. 3. ostensum; *qvi enim historici personam sustinet, non ultra qvam certa & explorata literis consignare debet.* Joh. de Launoy *d. tr. c.* II. *testim. 2. p. 81.* Et qvotqvot ab hoc historiæ scribendæ modo deficiunt, omnem suis narrationibus abjudicant auctoritatem.

§. 5.

§. 5. Et ipſa qvidem facta eventusqve factorum majore veritatis fide hiſtoricus narrare poteſt, qvàm cauſas, conſilia eaſqve facti circumſtantias qvæ per ſe in ſenſus non incurrunt. Hæc enim ille demùm verè narraverit, qvi facientis conſiliorum fuit conſcius, rebusqve gerendis aut ipſe interfuit, aut ab his qvi interfuerunt, ſincerè rem omnem narrantibus, ea didicit. Qvi verò in tradendis factorum cauſis conſiliisqve conjecturis tantùm nititur, plùs minusve invenit fidei, prout conjecturæ ſunt violentæ aut leviores. Atqve hinc eſt qvod Cornelius Tacitus apud nonnullos malè audit, qvod Cæſarum qvi ante ipſius natales defuncti erant, occultas animi cogitationes, conſilia, inclinationeſqve deſcribere auſus, omnia pejorem in partem interpretatus ſit, nec fere qvicqvam ingenui candoris veræqve virtutis illorum pleriſqve ſuo qvidem judicio reliqverit; (Alber. Gentil. *de arm. Rom. lib. 1. c. 1.* Gaſp. Sciopp. *diſſert. de natura hiſtoriæ, deqve hiſtorici officio.* C. A. Rupert. *Obſ. ad ſynopſ. Beſold. ſeu Hiſt. Univ. c.* XIV. *in vita Tiberii p.231.*) cùm tamen ejuſmodi occulta & in abſtruſis animi receſſibus abſcondita, pro favore aut odio, & haud rarò, licet illa abſint, pro captu & ingenio referentium ab his cum encomio, ab aliis cum vituperio ſoleant commemorari. Qvanqvam Corn. Tacitus acerrimi judicii ſcriptor defendi poſſit ex iis qvæ Scip. Claramontius libro de

conjectandis cujuſqve moribus & latitantibus animi affectibus paſſim ingenioſe docet.

§. 6. Tertia dictarum conditionum *ſi* deficiat, & ſcriptor odii amorisve ſuſpectus ſit, advertendum eſt num ab aliis ſcriptoribus ejusdem ævi, qvi extra ejuſmodi ſuſpicionem poſiti ſunt, nec etiam alterum illum exſcripſerunt, idem eodem modo traditum ſit; Hoc ſanè conſenſu ſcriptorum potentiſſimam veritatis demonſtrationem conſtare, jam ſupra *C. VII.* §. *14.* oſtenſum eſt. Sin verò ejusdem ævi ſcriptores eandem rem diverſimodè narrent, illius narratio ſola fidem meretur qvi potioribus ad veritatem narrandam ſubſidiis inſtructus eſſe deprehenditur. conf. ſupra *c. VII.* §. *19. 20. & Cap. IX.* §. *19.*

§. 7. Levior autem apud duos pluresve æqvalis alias auctoritatis ſcriptores in ejuſdem rei narratione diverſitas non debet in argumentum falſitatis arripi. Sanè, *verba ſunt* Sam. Mareſii *in Exam. qv. de Papâ fœminâ, contra Blondellum inſtituto p.74.* ſi ſtatim eos hiſtoricos *falſa venditare* ſtatuamus, qvorum chronologiam vel cum ipſismet vel cum aliis neqveamus conciliare, debebit apud nos nutare fides hiſtoriæ ipſius ſacræ, Veteris & Novi Teſtamenti, in cujus Chronologiâ qvædam nobis eſſe ἄπορα, omnes ferè fatentur. *Hac Mareſius.* Qvanqvam ſaltem illa circumſtantia ita diverſimodè narrata in ambiguo relinqvenda ſit.

§. 8.

§. 8. Qvæ tertiam illam ſubſeqvitur conditio, ut ſcriptor qvantâ maxima fide & diligentiâ rem geſtam annotaverit, à ſcriptoribus impletur, ſi ſingulis ſuæ narrationis partibus cauſam ſcientiæ idoneam adjiciant, prout ſupra *Cap. IX.* § *13.16.* oſtenſum, nihilqve eorum in qvibus facti ſpecies conſiſtit, dicto modo annotare negligant; nec, qvæ inveſtigari poſſunt, cauſas, conſilia & eventus factorum accurato judicio examinare & debitâ fide declarare omittant, ſed per omnia legibus hiſtoriæ ex Cic. II. *de Orat.* ſupra *Cap. I.* §. *7. 8.* & *IIX.* §. *5.* relatis, in hiſtoriâ ſcribendâ ſe conforment; Sic autem loc. cit. pergit Tullius : *Rerum ratio ordinem temporum deſiderat, regionum deſcriptionem; vult etiam, qvoniam in rebus magnis memoriâqve dignis CONSILIA primùm, deinde ACTA, poſtea EVENTUS exſpectantur; & de conſiliis ſignificari qvid ſcriptor probet, & in rebus geſtis declarari, non ſolùm* qvid actum *aut dictum ſit; ſed etiam* qvomodo: *& cùm de eventu dicatur, ut cauſæ explicentur omnes vel caſus, vel ſapientiæ, vel temeritatis.* Et hæc qvidem hiſtoriæ prudenter conſcribendæ ratio non minoris eſt peritiæ ac judicii qvàm ipſa rerum negotiorumqve, qvæ deſcribenda ſunt, prudens ac circumſpecta tractatio & geſtio, Ut non imprudenter. *Barcl. in Euphorm. part.* II. dixerit : *Nemo pro dignitate hiſtoriam componet, cujus indoles non ſit apta ea qvoqve gerere qvæ Hiſtorici deſcribunt.*

§. 9. Cùm verò multi Germanicarum

cumprimis rerum ſcriptores illâ hiſtoriæ ſcribendæ peritiâ non fuerint inſtructi; nonnulli etiam commentarios ſuos fabulis oneraverint, vid. *ſupr. Cap. IIX.* §. *15.* & alii, qvod peſſimum, genuinos ſcriptorum codices falſariâ manu corruperint, ut paulò poſt dicetur; hinc tanta caligo & incertitudo in multis magni momenti rebus antiqvis noſtram ætatem premit; de qva & alii dudum conqveſti ſunt.

§. 10. Sin autem ille §. *2. h. c.* notatus ætatis *ſynchroniſmus* hiſtorico monumento deſit, & hiſtoria pluribus ſeculis poſt rem geſtam ſit conſcripta, an & unde apud cordatos ſapientesqve viros fidem inventura ſit, paucis inqvirere fuerit operæ precium; qvanqvam ex *iis* qvoqve qvæ jam ſupra *cap.* IIX. §. *4. 17. 18.* & c.IX. §. *13.* tradita ſunt, res non poſſit non eſſe manifeſta. Samuel Mareſius inter Batavos magni nominis Theologus in *Johannâ Papiſſa reſtitutâ; ſeu exam. qvæſt. de Papâ faminâ, p. 5.* ſic cenſet: *Qvod ſi cuilibet auctori gravi ſcribenti de iis qvæ ducentis annis ante ſe contigerint, fides eſſet deroganda hoc tantùm argumento, qvòd nulli nunc exſtent illô vetuſtiores teſtes rerum qvæ ab ipſo narrantur, debebit apud nos nutare auctoritas omnium fere Hiſtoricorum Græcorum & Latinorum.* Ferè ſimilia ex Epiſtolâ didaſcalicâ Andr. Sanſæji refert. Joh. de Launoy *tr. de verâ cauſa ſeceſſ. Brunon. Cap. I. teſtim. 1. p. 18.* & toto eo libro admodum eruditè illum locum communem aſſerendæ veritatis hiſtoricæ paſſim exami-

examinat & castigat; qvæ etiam ad Maresii sententiam dextrè intelligendam referri possunt.

§. 11. Et primum qvidem hoc extra omnem dubitationis aleam positum est, qvicqvid historicus de rebus aliqvot seculis ante suam ætatem gestis certâ & indubitatâ scientiâ complectitur, hoc ipsum aut ex revelatione, aut ex testimonio idoneo ipsi innotuisse: qvicqvid neutro modo ipsi innotuit, hujus qvoqve certâ & indubitatâ cognitione destituitur. Prior ille res à suâ ætate remotissimas cognoscendi modus extraordinarius est & rarissimus; posterior verò ordinarius & in vita humana freqvens. Et de hoc tantum in præsenti sermo est. Hujus autem præmissi consectarium est, (qvod Launoy *d. tr. Cap. 4. in fine*, infert,) Historicum pluribus seculis remotum ab eâ re qvæ ab ipso ut gesta narratur, si vetustiorem narrationis suæ testem nullum habeat, contemnendum, & narrationem ejus in album fabularum referendam esse: *ita illa.* Si autem Historicus habeat ejusmodi testem, producere eum oportet & fide dignum ostendere; sed qvamvis testem idoneum non allegaverit, si tamen allegare potuerit, hactenus qvoqve fide-dignus est; dummodo ostendi possit idem ab hoc recentiori traditum, qvod antiqvus ille testis fide dignus suo testimonio demonstravit. Hinc Launojus l. c. concludit, *Paulum Æmilium*, licet hi-

ſtoriam Regum Galliæ contexuerit *absqve ullâ auctorum deſignatione à qvibus qvæ ſcripſit, mutuatus eſt; à nemine tamen illi fidem derogari, ſed paſſim ei credi:* Id verò propterea fieri oſtendit, qvòd auctores ſuos laudare potuerit, omnes: utpote qvi in Bibliothecis adhuc exſtent.

§. 12. Eadem ratione Hiſtoricorum Græcorum & Latinorum ſuſtentatur auctoritas, qvi res aliqvot ſeculis ante ſe geſtas deſcripſerunt; qvæ enim commentarios eorum excepit ætas adhuc inſtructa monumentis horum recentiorum narrationi fidem conciliantibus, qvod idoneis teſtimoniis demonſtrari poſſe vidit, fide dignum cenſuit, & tali comprobatione veritatis munitam hiſtoriam poſteritati reliqvit. conf. ſupra c. VII. §. 9. Adeoqve Mareſii qvidem ſententiam paulò ante §. 10. relatam admittimus, dummodo ſupponat, licet non amplius exſtent, extitiſſe tamen illo recentiori hiſtorico vetuſtiores & idoneos teſtes rerum qvæ ab ipſo narrantur. Qvod ſi autem ſcriptor rerum ducentis ante ſe ſeculis geſtarum legitimis careat teſtibus, eoſqve nullos laudare potuerit, qvibus qvæ ſcribit, præſentibus ſcribat, hunc nullâ fide dignum cenſere oportet. Hæmens Launoji *d. tr. c. 2. teſt. 2. p. 8.* ubi ſcite prudenterqve à Baronio dictum refert, *qvod de rebus adeo antiqvis ſine vetuſtioris alicujus auctoritate profertur, contemnitur.*

§. 13. Rectè igitur ſtatuit prædictus auctor

c. 2. p. 94. Non continuo admittenda esse qvæ qvibuslibet in libris de re qvalibet offenduntur, sed ad optimas asserendæ veritatis leges expendenda esse; alioqvi, ait, nihil esset tam verum, qvod admixtione mendacii non adulteraretur, nihil tam sincerum quod non corrumperetur; nihil deniqve tàm certum, qvod in dubium non vocaretur.

§. 14. Optimæ autem leges examinandæ veritatis historicæ nituntur naturali illâ causa dicendæ & scribendæ veritatis, scientiâ nempe rei ejusqve circumstantiarum & voluntate ad veritatem dicendam scribendamve propensâ, atqve à mendacio alienâ : Id qvod in anterioribus jam semel atqve iterum monui, *Cap. VII.* §. *5. Cap. IX.* §. *12. 18.*

§. 15. Cùm verò qvam scriptores se habere putant causam scientiæ suæ, aliam qvidem veram ac genuinam, aliam autem falsam ac spuriam esse constet, ut ex iis qvæ supra toto *cap.* IIX. & *cap. IX.* §. *11.* dicta sunt, colligi potest, alteram illam ab alterâ secernendi rationes haud ignorare debet circumspectus historicæ veritatis indagator. Et rerum qvidem suo seculo vetustiorum narrationem confirmare solet historicus allegatione scriptorum illius ævi qvo res gesta est, aut documentorum, diplomatum, privilegiorum, chartarum, rei gestæ fidem facientium, aut traditionis vetustæ & uniformis, aut picturarum, inscriptionum qvæ in columnis, parietibus, lapidibus &c. noscitantur.

Digitized by Google

tantur. De ſingulis qvomodo ad impoſturam declinandam examinanda ſint, utilis & non ineruditæ eſt contemplationis opus.

§. 15. Qvod libros & Scriptores vetuſtos, nec non Scripturas diplomatum, privilegiorum, conceſſionum, donationum, teſtamentorum &c. attinet, horum genuinitatem à falſitate dignoſcendi ſcientia qvædam principia habet communia monumentorum hiſtoricorum pariter ac diplomatum, qvædam verò alterutrius generis propria: Commune principium & tàm hiſtoriæ ſuppoſititiæ qvam falſi diplomatis argumentum ſtili & rerum inconvenientia ſuppeditat, ſi hiſtoria vel ſcriptura complectatur aut (1.) verba formulaſqve illo qvo ea compoſita eſſe fertur tempore nondum uſitatas, aut (2.) res illo ipſo tempore nondum exiſtentes, aut (3.) res ab eo, cujus eſſe dicitur, auctore alio in loco, qvi indubitatè genuinus eſt, prorſus diverſimodè traditas. Horum argumentorum vim in ipſis rerum documentis præclarè oſtendit ὁ πανυ Conringius Cenſur. Diplom. Ludoviciani cumprim. *Cap.* XIIX. conf. ibid. *pag. 397.* epiſtola Stephani Baluzii. Ex iisdem fundamentis viri eruditi Pſeudo Beroſum Annii, reliqvosqve fictos ab illo hiſtoricos falſitatis convincunt, vid. A. S. Peregrinus Bibliothecæ Hiſpanicæ *Tom. 2. claſſ. 16. in fin.* Et Gobelinus Perſona *Coſmodrom. ætat. VI. c. XIV.* eadem qvoqve machinâ convellit fabulam de XI. millibus vir-

virginum; Et Mareſius in Johannâ Papiſſâ *pag. 29.* illam applicat libro de Vitis Pontificum, qvi Anaſtaſio adſcribitur; contendit verò auctorem ejus libri non fuiſſe illum Anaſtaſium, qvi ſeculo IX. vir *Græco Latinoqve multùm peritus eloqvio* floruiſſe perhibetur apud Trithem. *libr. de Scriptoribus Eccleſ.* cum ille qvi hodie hoc nomine circumfertur, rudi ſtilo ſcripſiſſe noſcatur. Similiter ex certæ cujuſdam ſcripturæ adverſus ſtilum aulicum ſolœciſmis ipſam ſcripturam ſuppoſititiam eſſe oſtendit ſummus JCtus J. Strauchius *Diſſertat. J. P. Exoter. IX. §. 10. 11.*

§. 17. Propria epiſtolarum, diplomatum, inſtrumentorumqve falſitatem arguendi principia, cumprimis ex defectu aut manifeſtâ falſitate formalium epiſtolæ, diplomatis vel inſtrumenti deſumuntur, vid. ſupr. *cap. IIX. §. 8.* & *cap. X. §. 9.* & notabile cap. *Inter dilectos Xtr. de fide inſtrum.* Interdum qvoqve vel charta vel literarum figura recentior impoſturam prodit, Novell. *73. c. 6.* Plurima exempla ejuscemodi fraudis detectæ exhibet G. Naudæus in libello contra nonnullos Monachos edito tit. *Raiſons peremptoires &c.* cujus excerpta in append. Cenſuræ Diplom. Ludov. Dn. Conringius dedit *p. 375. ſeqq.* eundem auctorem laudat Mareſius *Joh. Papiſſ. p. 167.*

§. 18. Qvæ autem dictis aliisqvè hiſtoricorum, inſtrumentorum, diplomatum, ſcripturis genuinitatem abjudicantibus argumentis non pa-

patent, ſcripturæ ſuâ integritate conſpicuæ, idoneoqve fidei & veritatis teſtimonio inſtructæ, apud cordatos ſapienteſqve viros fidem invenire debent, omni eâ parte qvâ ſunt genuinæ, & tali qvale dictum teſtimonio inſtructæ. Hæc reſtrictio propter vitiatos adulterinâ manu veterum recentiorumqve Chronicorum & Annalium aliàs genuinos libros eſt neceſſaria. Hi enim libri magnâ cum diligentiâ evolvendi ſunt, *cùm in his longè facilius, qvàm in aliis qvædam à deſcriptoribus interſerantur*, verba ſunt Joh. de Launoy *d. tr. concl. cap. 4.* Talis autem depravationis nonnullos Chronicorum & Hiſtoriarum libros haud inexpertos eſſe, tùm Alciati teſtimonio, ſupra *Cap.* IIX. §. 3. adducto, tùm exemplo Georgii Phranzæ *d. c.* IIX. §. 1. jam comprobatum eſt; tùm pluribus qvàm pro voto exemplis poteſt comprobari. Aventini ab Hieron. Zieglero mutilati, à Nic. Ciſnero autem integritati ſuæ reſtituti exemplum in Republ. literariâ notorium eſt ex editione Baſil. Anno cIↃ IↃ xxc. publicatâ. Et Mareſius Joh. Papiſt. *p. 36.* ſcribere non dubitavit; *Scripto iſtius generis*, (loqvitur autem de Annalibus Bertiniani) *qvod transiit per manus Jeſuitarum, qvibus ſolenne eſt caſtrare & evirare qvoslibet bonos auctores; ut de illis qveritur L. Bochellus* præf. ad Decreta Eccl. Gall. *parùm fidei eſſe tribuendum.* Conf eund. Mareſ. d. tr. p. 178.

§. 19. Ejuſmodi adulterina vel additio

vel

vel detractio vel mutatio in Codice MSS. autographo vel alias antiqvo ex sola inspectione interdum cognoscitur. Exemplo hoc ostendit J. de Launoy sæpe laudato tr. *c. 5. p. 148. Est qvidem*, ait, *antiqvissimus Codex, & qvæ in eo de Grandimontensi Ordine & aliis qvibusdam scribuntur, antiqvissima manu scripta sunt; sed qvæ modo recensuimus, recentissima. Heu prisca fides!* Inter codices verò typis publicatos antiqvior qvidem melioris est notæ, si ab ipso auctore, aut eo adhuc superstite & editioni haud contradicente, sit editus; uti & inter manu exaratos vetustior fidem derogat recentiori in capitulis ab illo diversis, *v. supr. cap.* IX. *§. 11.* Sin autem auctore pridem defuncto liber typis exscribatur, ille potior erit, qvi ex melioris notæ exemplari descriptus est; & hoc casu recentior sæpe prævalet antiqviori; id qvod exemplo editionis *Fasciculi temporum* Werneri Rolevinkii à Pistorio procuratæ docet Launoy *d. tr. c. 4. n. 5.* Idem obtinet si prima editio inscio auctore ex mss. volantibus procuretur, eamqve excipiat alia ab ipso auctore curata & recognita.

§. 20. Præter historiarum & diplomatum scripturas antiqvioris historiæ scriptor etiam traditionem fidei suæ sponsorem sistere interdum consuevit; ubi nempe prioris generis documentis destituitur. Et siqvidem traditionem aliqvam statim eo tempore qvo res contigisse dicitur haud vanis auctoribus ortam

tam, & per cuncta ſecula ſeqventia ſincere conſervatam eſſe conſtet, in hac ſanè haud exiguum veritatis patrocinium collocare oportet; idqve propter rationes ſupra *cap. VII. §. 8.* allatas. Hinc Grotius *de J. B. & P. lib. II. c. XX. §. 45.* docet traditionem à primis hominibus ad nos propagatam ac nunqvam ſolide refutatam, vel ſolam ad fidem faciendam ſatis eſſe. conf. eund. *de V. R. Chr. lib. 1. §. 22.*

§. 21. Ab illa genuinâ traditione diverſa eſt ſpuria traditio, qvæ uno alteroqve ſeculo poſt rem geſtam nullo idoneo auctore orta, eô ſolô qvod ἀδέσποτος vel ἀνέφαλος eſt, (qvalem Baron. ſupra §. 3. allegatus deſcribit,) nec ullum ſuæ veritatis patrocinium agnoſcit, ſeipſam falſitatis convincit. Nec temporis diuturnitas tali traditioni fidem conciliare valet: Neqve enim, (ut Joh. de Launoy *dicta differt. c. III. ratione prima*, prudenter monet) qvæcunqve opinionis alicujus progreſſio ævi auctoritate ſe tuetur, ſed ea tantum, qvâ qvod ab initio rei geſtæ poſteris traditum eſt, conſervatur, & conſervatum deinceps probe demonſtratur. Qvæ autem uno alteroqve ſeculo poſt rem geſtam orta eſt, licet ſi cum præſenti tempore componatur, vetuſta utcunqve dici poteſt, ſi tamen cum prima rei geſtæ origine, qvæ labis expers eſt, conferatur, nova eſt & erit ſemper, nec ullam unqvam vetuſtatem acqviret præterqvam erroris. Et ſic qvoqve explicandi ſunt Dd. ubi tradunt, *famam*

qvæ

Digitized by Google

qvè diu vignit, præsumtionem juris inducere, Göden *Cons. V. de arbitris n. 22.* nempe, ut gl. *ad c. 1. de præscr. in VIto* tradit, *dicent testes* (genuinam qvoqve traditionem confirmaturi,) *qvod communis est & fuit semper opinio quod sic fuerit ; & qvod non exstat contrarii memoria.*

§. 22. Qvod si deniqve narratio in picturis, lapidumqve, columnarum & parietum inscriptionibus ac figuris suæ fidei præsidium collocet, qvoniam & hæc testimonia impostu-ram facere & pati qveunt, ut Vir longè doctissimus Ant. Augustinus Tarraconensium Archiepiscopus *antiqvitatum Rom. & Hispan. Dialogo* XI. ostendit; (ubi de falsis marmorum ac numismatum titulis & inscriptionibus differit, narrans ex fide Latini Latinii, qvi & ipse Viterbiensis Romæ doctrinâ claruit, Joannem Annium patriæ qvoqve ficta falsoqve sculpta inscriptione fucum facere conatum. Ita A. S. Peregrinus *Bibliothecæ Hispan. tom.* II. *in appendice classis Hispaniæ Historicorum, p. 355.*) singulari qvoqve peritia opus esse patet, ad ejusmodi argumenta picturata, parietina, marmorea & saxea vera à supposititiis segreganda.

§. 23. Et siqvidem pictura eo, qvo res depicta contigisse dicitur, tempore confecta doceatur, in eo loco ubi res perspecta esse potuit, iisqve, qvos res depicta attingit eam cognitam toleraverint, nec ullum falsi argumentum in ea eluceat, hanc tanqvam veritatis testem amplectendam esse, mo-

net Joh. de Launoy *d. diſſ. c.* III. *rat. 2da.* Idem qvoqve legum interpretes ſentiunt, Martin. Magerus *de advoc. armat. c. xlix. n. 109. ſeqq.* Sigiſm. Finckelt. *de Jure Patron. Eccleſ. c. lix. n. 44.* conf. ſupra *cap. VII. §. 8.*

§. 24. Ætatis autem ſuæ infantiam pictura ipſa interdum prodit, ut eleganti exemplo oſtendit Launoy *d. c.* III. *rat. 4ta.* his verbis: *deinde recentem fuiſſe figuram omnino teſtabatur forma pilei, qvo tectus Bruno auditores ſuos hinc inde docebat. Hoc enim capitis operimentum qvod in veteribus Academiæ libris* birretum *rotundum & vocabatur & erat, ad annum 1520. aliter deformari cœpit, & in cornutum qvadrum deſinere; cujuſmodi erat pileus ſeu birretum magiſterii inſigne, qvo ut diximus, Brunonis caput tegebatur.* Sed pictura uno alteroqve ſeculo recentior re qvam repræſentat, nil aliud docet, qvam rem, qvæ exhibetur, & uti exhibetur, ita tunc creditam vulgo. Nam pictores ad exemplar rerum qvæ ſuo tempore creduntur vulgo vel geruntur, imagines ſuas efformare ſolent. Adeoqve talis pictura recens rei vetuſtæ nihilo plus habet auctoritatis, qvam libri vel traditio ex qvibus originem trahit: de horum autem fide examinandâ jam dictum eſt.

§. 25. Ceterum dubitare licet, ſi cum nulla alicujus rei vel eventus penes hiſtoricos veteres mentio ſit, eam tamen circa illorum tempora contigiſſe recentiores nonnulli tradant, utrum his potius credendum ſit, an verò ex

rò ex veterum illorum jugi ſilentio firmiter liceat concludere, illam rem à recentioribus nulli ſpectatæ probatæqve fidei teſtimonio innixis falsò traditam? Argumentum qvidem à teſtimonio humano negative non valere, vulgò traditur; qvibus conſentit Sam. Mareſius in Johannâ Papiſſ. reſtitut. his verbis, pag. 23. *Qvantum ſit deferendum argumentis ab auctoritate humanâ negativè procedentibus, norunt vel qui nondum ære lavantur. Ut plùs uni oculato creditur qvàm decem auritis, ſic plus uni narranti & affirmanti, qvàm decem tacentibus & ſilentibus eſt deferendum.* Et paucis interjectis, *Qvidni enim*, ait, *iſtis tacentibus applicemus regulam tritiſſimam Juris*; Qvi tacet, conſentire videtur?

§. 26. Sed, ne nunc dicam qvàm malè illa regula applicetur tacentibus de re aliqvâ, qvam nemo reliqvorum ejus ætatis, qvâ & hi de eâ tacentes ſcripsêre, hiſtoricorum vel verbo tetigit; illud qvidem admittendum eſt, *plùs uni oculato credi qvàm decem auritis*; Et hoc qvoqve tolerandum, inter hiſtoricos qvi easdem res eodem ævo ſcripſerunt, plùs uni narranti & affirmanti qvàm decem tacentibus & ſilentibus eſſe deferendum, ſiqvidem unus ille meliorem habuerit occaſionem cognoſcendæ rei, & aliàs ſit ſpectatæ fidei & prudens ſcriptor. Sed qvi rem meliùs perſpectam habere potuerunt, ſi, dum ceteras illius temporis, perſonarum, lociqve res geſtas me-

morabiles descripsêre, unam aliqvam rem aliàs memoratu dignam omiserint, cùm *nulla* urgens silentii illius causa doceri qveat; ex hoc sanè silentio firmum argumentum negativum contra illos qvidem oriri, qvi aliqvot seculis recentiores re qvam antiqvo illo tempore gestam esse dicunt, nullo autem idoneo testimonio docent, affirmare haud erubescimus. Et hic potius valet illa regula, plus uni oculato & præsenti credendum tacenti rem, (qvam salvis historiæ cui scribendæ intentus fuit legibus tacere non debuit) qvàm auritis & ex vana recentiqve traditione rem adeo vetustam sine fundamento affirmantibus decem; *Oculati* enim sunt illi priorum seculorum testes; hi verò posteriorum temporum *auriti* duntaxat *testes* sunt. Atqve hæc sententia exacte congruit legibus examinandæ veritatis historicæ; qvarum momenta toto hoc capite prolixius ostendimus. Huic igitur conclusioni insistendum nobis est, aut vero à præmissis principiis, qvod tamen salva veritate non licet, recedendum.

§. 27. Sed vim usumqve argumentationis ab auctoritate negata in rerum gravissimarum demonstratione agnovit prisca & recens ætas. In examinanda puritate & veritate dogmatum religionis Christianæ insignem ejus usum ipso opere declarat Joh Dallæus adversus Latinorum de cultus religiosi objecto traditionem disputans; ubi & in præfatione libri ostendi-

oſtendit non tantum priſcos, Irenæum, Tertullianum, Athanaſium, Epiphanium aliosqve hoc argumenti genere à teſtimonio ſilente eundem in finem uſos; ſed recentiores qvoqve, Bellarminum & Baronium, vulgatas qvasdam traditiones falſi damnaſſe ex veterum de rebus iſtis ſilentio. Concilium Francofordienſe qvod ſub Carolo M. habitum eſt, in epiſtola ad Epiſcopos Hiſpaniæ, *num qvid ſagaciores ſumus ad inveniendam viam veritatis, qvam Apoſtolici Doctores: Et qvare aliqvid affirmare audemus qvod in illorum non inveniatur ſcriptis?* Hæc Joh. de Launoy *tr. de auctor. neg. arg. §. 74.* Et M. Edmundus Richerius Doctor & Socius Sorbonicus Hiſtoriæ Conciliorum generalium *lib. I. cap. II. §. 6.* ubi de Concilio Nicæno agit: *Ceterum*, ait, *qvando nullus antiqvus & probatus Scriptor refert Hoſium Cordubenſem nomine Sylveſtri Nicæno præfuiſſe Concilio, hercle qvi ex Epiſcoporum ſubſcriptionibus qvæ circumferuntur, id firmare volunt, obſcurum per obſcurius probant, qvoniam ejusmodi ſubſcriptiones tam ſuſpectæ ſunt fidei qvam epiſtola ex Bibliotheca Dominicanorum Colonienſium eruta: Sunt enim ita corruptæ atqve incertæ ejusmodi ſubſcriptiones, ut nulla eis inſit fides.* Eodem argumento Gobelinus Perſona in Coſmodromio ætat. *VI. Cap. XV.* Legendam S. Catharinæ fabuloſam eſſe, peritè demonſtrat. *Sed hoc telo*, pergit Dallæus, *nemo illarum partium ſapius, aut ſolertius, fortiusqve & felicius uſus eſt, qvam clariſſimus Sorbonæ Doctor*

JOANNES de LAUNOY, qui nobiles illas palmas, quas plaudentibus omnibus veriorum amantibus, de profligatis non paucis fabularum & historiarum κακοστλαστῶν monstris retulit, huic potissimum argumentationi debet. Quanti ea sit, quam non modo utilis, sed etiam necessaria ad tutandos sanctissimæ Veritatis fines, & ad propulsandas τῶν φιλομύθων injurias, demonstrat doctissima illius Viri hac de re Dissertatio, (de auctorit. negantis argum.) *quam ante biennium,* (A. 1662.) *sed secundis curis longè auctiorem iterum, adjecta quoque appendice, edidit.* Hæc Dallæus. In rerum quoque civilium veritate à fabulis vindicanda eadem arte doctissimi viri utuntur. *Deme, si potes,* (verba sunt C. A. Ruperti in Histor. Univers. s. Obs. ad Synops. min. Besoldi, c. XIIX. p. 678.) *Philologis & Historicis id genus argumenti; vix unam vel alteram narrationem à genuina discernere poterunt.* Romanos Alexandrum M. legatione veneratos esse, *contra* Memnonem *c. 24.* Plinium *lib. III. c. 5. negant cum* Arriano, *lib. VII. quod de ea re fileant, non solum scriptores Romani omnes, sed &* Ptolemæus *&* Aristobulus, *Historici; uterque Alexandri socius, alter etiam Dux, & postea rex Ægypti. Sic in controversiis* de legibus Justinianeis per Lotharium reductis, de Institutione Electorum sub Ottone III. *sic in aliis argumentantur alii.* Ita Rupertus. conf. Lehmann. Chron. Spir. *lib. V. c. XVII.* Dn. Conring. de

O. J. G.

Digitized by Google

O. J. G. *Cap. XXI. XXII.* & libro de Republ. Imp. Germ. *Exercit. V.* §. *24.* Exerc. *X.* §. *24.*

§. 28. Usqve adeo verum est, qvod Jo. Launojus in epistola dedicatoria tr. *de auctoritate negantis argumenti*, ad illustrissimum Abbatem Cæsarem Estræum scribit: Sive *prudentiam* qvæ in administrandis imperiis elucet, sive *scientiam* qvæ in scrutandis etiam naturæ arcanis versatur; sive *sagacitatem* qvæ in conscribendis Sacris aut profanis annalibus consistit; sive *peritiam* qvæ foro judiciisqve addicitur; sive *eruditionem*, qvæ ex optimarum artium ac literarum studiis colligitur; sive *disciplinam* qvæ in tradendis Theologiæ dogmatibus occupatur, consideres, *qvæstio* semper *de novitate vel antiqvitate rei* movetur. Tum & in qvolibet fere genere, si antiqvitas desit, *abnutivi* in medium producuntur: Sed rectene semper an secus producantur, hic Rhodus, hic saltus.

§. 29. Negativum autem argumentum, pergit ille *d. tr. n. 150.* ut certissime concludat, intra terminos habitûs vel disciplinæ de qva agitur, UNIVERSIM sumi debet; alioqvin vel mnus probabiliter tantum, vel falso concluderet. Sicut male qvis colligeret, Lazarum non fuisse à Christo revocatum ad vitam, qvod Matthæus, Marcus & Lucas de ea re nihil scripserint: Sufficit enim id miraculum ab uno Evangelista Johanne narratum esse. Tunc igtur negativum argumentum nihil aut

parum habet roboris, cum in materia cui applicatur μερικὸν & ſingulare eſt: Sed cum univerſale formatur & totam materiæ ſeu *habitus* rationem coercet, non poteſt non eſſe validiſſimum. Qvare argumentum qvod priori modo conficitur, impingit qvidem in hanc Dialecticorum regulam, *ex puris negativis nihil ſeqvitur*: Sed qvod poſteriori conficitur, neutiqvam impingit, aut ſi qvando impingit, violari debet regulæ ratio; qvæ ſi deſit, regula qvoqve deeſt; cum nulla ſine ratione regula poſſit conſiſtere. Ratio autem regulæ eſt, qvod conſtans puris negativis argumentatio pugnet cum *dictis de omni & de nullo*, qvibus *ars ſyllogiſtica tota incumbit*. At cum iſta ratione utplurimum pugnat abnutivum qvod μερικὸν & ſingulare eſt; non qvod univerſale & totam habitus ſeu materiæ cui applicatur extenſionem complectitur. Hæc doctiſſimus Launojus,

§. 30. Uti igitur in omni alia demonſtratione veritas concluſionis ex veritate principii, & hiſtoricæ narrationis veritas ex idonea ſcientiæ cauſa ac ſincera voluntate ſcriptoris ſufficienter comprobata eluceſcit; Sic ad demonſtrandam falſitatem traditionis recentis de re veruſta ſatis eſt auctoritatis in perpetuo eorum ſilentio, qvi rem illam, non minus qvam ceteras, qvas memorant, memorabilem, non tacuiſſent. Atqve uti forenſis omnisqve judiciariæ prudentiæ genius illas demum

mum ex Hiſtoriis deductas allegationes recipit qvæ idoneo ſuæ veritatis teſtimonio ſunt inſtructæ; ita illas recentiorum de rebus antiqvis relationes optimo jure damnat, qvæ nullius coætaneorum teſtium ſuffragio adjuvantur. conf. *h. c.* §. *1. 12. 13. 14.*

CAPUT XII.

DE USU FIDEI HISTORICÆ.

1. *Hiſtoriæ fidem ad doctrinam & cognitionem ordinari.*
2. *An hiſtorica fides tantum ad ſingularium cognitionem pertineat.*
3. *Uſus fidei hiſtoricæ in univerſalium cognitione.*

Qvomodo exiſtat cognitio univerſalium?

Hiſtoria proxime ſingularia, mediate & univerſalia tradit.

Lex proxime univerſalia, conſeqventer & ſingularia ordinat.

4. *Qvâ methodo colligantur principia univerſalia in ſingulis ſcientiis.*
5. 6. *Principia ſcientiarum propria experientia & Hiſtoriæ ſuam originem acceptam ferunt.*
7. *Scientiæ ex hiſtoria ortum & augmentum qvodammodo habent.*
8. *Cumprimis Scientia naturalis & artes.*
9. *Moralis Scientiæ augmenta.*
10. *Hiſtoria moralis.*
11. *Hiſtoriæ uſus in politicis.*
12. *Uſus fidei hiſtoricæ in qvæſtionibus facti antiqvi in unaqvaqve ſcientiâ & facultate demonſtrandis.*

13. *Juris universi, Gentium pariter & Civilis, auctoritas ex historia docetur.*
14. 15. *Usus fidei historicæ in jure publico.*
16. *Usus fidei historicæ in variis negotiorum forensium speciebus.*
17. *Exemplum controversiæ antiquæ ex historia decisæ.*
18. *Instrumentorum vel documentorum falsitas ex historia quemodo possit argui.*
19. *Fide historicâ pro se utentem debere & contra se eandem admittere.*

§. 1.

PRopositi ordinis ratio exigit in specie nunc declarari, ad qvarum rerum cognitionem Historica monumenta adjumentum aliqvod conferant; Fidem enim historicam ad doctrinam ac demonstrationem, has vero ad cognitionem ordinari ex superioribus notum est. *Cap.* II. §. *4. 10. 11. 12. Cap. IV.* §. *6.*

§. 2. Cum autem cognitio alia sit universalium, alia singularium; an ad utramqve illam historia utilis sit, primum ostendendum erit. Et qvidem ad priorem illam, universalium nempe cognitionem, historiam inutilem esse, inde videtur colligi, qvod eam singularia maximè complecti pleriqve statuunt. Qvale igitur objectum historia tractat, talem qvoqve objecti sui cognitionem eadem pollicebitur.

§. 3 Sed captiosam esse hanc argumentatio-

tionem ſtatim patebit, ſi cogitaverimus, cognitionem univerſalium non niſi eam eſſe qva ab omnibus ad eandem ſpeciem idemve genus pertinentibus ſingularibus qvaſi abſtracta, communis ea qvæ ſingulis individuis ineſt natura uno generali conceptu collecta repræſentatur. Ejuſmodi autem cognitio per ipſa ſingularium particularia ad illud ſcientiæ catholicum adſurgit. Nam in omni ſcientiâ & arte ex præcogniris illis qvæ in individuis ſeu ſingularibus ſenſu percipiuntur, per inductionem colliguntur Principia univerſalia & ſcientifica: Ex talibus verò principiis tales qvoqve concluſiones inducuntur: Unde hiſtoria proximè qvidem & immediate exhibet ſingularia, mediate autem perqve ſingularium uniformitatem univerſalia qvoqve repræſentat: Contra autem univerſalis oratio, ſub qvâ continetur & lex propriè dicta, immediate qvidem univerſalia, conſeqventer verò & ſingularia complectitur. Itaqve, ait Plutarch. *lib. de Fato*, legibus dicemus eſſe præceptum, ut iſte vel iſte ob rem præclare geſtam honore afficiatur, alius ob deſertam aciem puniatur; ὡς δυνάμει καὶ περὶ τούτων διατεταγμένου τοῦ νόμου, qvia lex poteſtate ac vi ſuâ de his (individuis) qvoqve diſponit.

§. 4. Qva autem methodo ex ſingularium contemplatione univerſalia colligantur Principia, Ariſtot. II. *Poſterior. Analyt. c. ult.* præclarè docet: *Ex ſenſu*, ait, *fit memoria*, cum

cum rei ſenſu perceptæ ſpecies in anima permanet; *ex memoria* vero ejusdem rei ſæpe factâ, *fit experientia*; multæ enim memoriæ numero, ſunt una experientia, at verò *ex experientia*, ſive ex omni & univerſali, qviescente in anima, nimirum uno præter multa, qvod omnibus illis ineſt unum & idem, *fit principium artis & ſcientiæ.* Ita Ariſtot. Memoriæ vero & experientiæ theſaurus continetur Hiſtoriarum monumentis accurate conſcriptis, ſive ſit experientia rerum civilium, qvam Hiſtoria rerum geſtarum complectitur; ſive ſit experientia rerum ad artem Medicam pertinentium, qvæ libris Obſervationum Medicarum exhibetur, ſive ſit experientia rerum Forenſium, qvæ in voluminibus obſervationum Juridicarum, Relationum, Supplicationum, ſententiarum, deciſionum, rerumq; judicatarum libris recondita eſt.

§. 5. Hoc eſt qvod Philoſophus I. *Prior. Analyt. c. XXX.* ita docet: Propria verò Principia in qvaqve ſcientiâ permulta ſunt: Idcirco experientiæ proprium eſt cujusqve rei Principia tradere: Verbi gratiâ: *Aſtrologica experientia ſuppeditat Principia Aſtrologicæ Scientiæ*; ſufficienter enim acceptis iis qvæ apparent, ita inventæ ſunt Aſtrologicæ demonſtrationes. *Similiter res habet in qvavis alia arte & Scientia.* Qvocirca ſi accepta fuerint qvæ inſunt circa qvamqve rem, noſtrum jam erit prompte demonſtrationes edere. Nam *ſi nihil QUOD AD HISTORIAM attinet prætermiſſum*

missum fuerit ex iis qvæ vere insunt rebus, poterimus de omni re, cujus est demonstratio, eam invenire ac demonstrare; si qvid autem natura ita sit comparatum, ut demonstrari neqveat, id ipsum palam facere.

§. 6. Atqve ita qvidem, ut Principia scientiarum, ea qvidem qvæ vocantur *Axiomata*, nascendi initium debent *inductioni*, inductio *experientiæ*, experientia *memoriæ*, memoria *sensui*; trium horum, nempe sensu perceptorum, memoriâ retentorum, experientiâ comprobatorum incunabula in Historiæ recessibus delitescunt.

§. 7. Ex Historia igitur cujusqve artis ac scientiæ propria uti ipsæ scientiæ & artes, qvatenus systemata qvædam definitionum, divisionum, axiomatum, ac demonstrationum constituunt, originem suam uti diximus habent; *Omnia enim fere qvæ sunt conclusa nunc artibus, dispersa & dissipata qvondam fuerunt*; ait Cic. *l. de Oratore*; Sic qvoqve ex Historia eædem augmenta sua capiunt atqve incrementa. *Augentur enim* scientiæ, docente Aristot. I. *Poster. analyt. cap. XII. t. 14. non per media*, h. e. qvia eadem conclusio demonstratur per plura media; (qvanqvam hac ratione scientia exqvisitior redditur;) *Sed qvia assumunt* alia: h. e. uti Pacius declarat, *qvia semper novæ conclusiones adjiciuntur*: Videlicet aliis atqve aliis observationibus rerum singularium accedentibus, qvarum causæ simul indagantur.

§. 8.

§. 8. Cumprimis hac ratione incrementa accipiunt **naturalis** ſcientia, ſcientiæ mathematicæ, ars **medica**, architectura, mechanica, civilis prudentia & ars militaris. Etſi enim novæ corporum naturalium ſpecies non amplius producantur; in iis tamen qvæ exiſtunt novæ ſubinde obſervantur vel particulæ vel partium diſpoſitiones ac functiones priſcis ſeculis aut incognitæ, aut cognitæ qvidem, ſed iterum oblivione ſepultæ, & recenti demum curioſitate in lucem reductæ: In mechanicis vero & manufacturis, omniqve architectura civili ac militari novæ operum ſpecies haud raro producuntur, qvorum demonſtrationibus artes ac ſcientiæ illæ incrementa ſua debent.

§. 9. De morali ſcientia augenda exſtant doctorum virorum lucubrationes; cumprimis Fr. Baconi Baronis de Verulamio cogitata Vincentii Placcii Commentariis illuſtrata. Nimiam autem illi & inutilem prolixitatem videntur affectare; cui exhauriendæ homo non ad ſpeculationes ſed vel ad docendum vel ad res gerendas ſeſe præparans haud videtur ſufficere. Hoc tamen in illa morum ſcientia incrementum videmur obſervaſſe, qvod non tantum concluſiones qvæ ab antiqvis jamdudum traditæ per magis exqviſita qvam olim factum principia demonſtrari cœperint; in qva tamen re Ariſtot. paulo ante §. 7. allegatus incrementum ſcientiæ haud collocat; ve-

verum etiam ea qvæ in Moralibus ab Ariſtotele aliisqve probatis auctoribus non ſua auctoritate, utpote qvæ exigui momenti eſt, ſed rationibus ſolidis demonſtrata ſunt, ulterius producta & ad theologica qvoqve & juridica argumenta ſint extenſa; ut altiores hæ ſcientiæ, in qvantum illæ non poſitivis ſed naturalibus nituntur principiis multo ſolidius qvam anterioribus ſeculis factum, doceri diſciqve jam poſſint. Qvæ tamen incrementa non tam ab hiſtoria qvam à rationum univerſalium ad plura ſpecialia objecta extenſione proficiſcuntur.

§. 10. Qvæ vero ab hiſtoria in moralem ſcientiam derivantur commoda conſiſtunt in commemoratione dictorum factorumqve memorabilium in qvibus inſignis nota vel probitatis vel pravitatis ſeſe exhibet, & eventus honeſtis ac turpibus actionibus à divina providentia deſtinatus relucet. Hujus generis exempla paſſim occurrunt in hiſtoria ſacra veteris ac novi Teſtamenti; qvalia & in hiſtoria univerſali notant doctiſſimi auctores Chronici Carionis ut vocatur, Philippus Melanthon & Caſp. Peucerus. Virtutum & vitiorum moralium exempla congeſſit Valerius Maximus: Et non pauca hujus generis tradita ſunt à Cicerone in libris de officiis, à Seneca, & *qvo nullus extitit inter Græcos Scriptores, præſertim qvod ad mores attinet, ſanctior aut lectu dignior*, Plutarcho; prout de eo judi-

Judicat Eraſmus Roterodamus in Epiſtola dedic. Apophthegmatum libris præmiſſa.

§. 11. Latius patet in hiſtoria civili civilis prudentiæ campus. Exempla rerum in civili ſocietate geſtarum, cum cauſis & eventibus noſſe ad civiles deliberationes utile eſt; *cum ex iis qvæ ante geſta ſunt futura conjicientes judicamus* Ariſt. *I. Rhetor. IX.* §. *65.* Qvi eod. *lib. I. cap. IV.* peregrinationes & hiſtoriam civilem in ſpecie commendat viro politico Conf. qvæ ſupra *Cap.* III. §. *6.* è Machiavello adducta.

§. 12. Præcipue vero & ſingularium veritas ex Hiſtoria arceſſitur & confirmatur, cum qvæſtio aliqva *facti* antiqvi in Theologica Scientia & hiſtoria eccleſiaſtica occurrit; veluti qvinam priſcis ſeculis in Eccleſia fuerint heterodoxi, qvænam facies Eccleſiæ primitivæ in doctrina & ritibus, qvamdiu ea uniformis permanſerit; qvomodo ſenſim mutata, &c. cujus peritiæ illuſtre ſpecimen exhibuit *Jo. Dallæus* libris III. de Pſeudepigraphis apoſtolicis, ſeu libris octo Conſtitutionum Apoſtolicarum apocryphis. Similiter in hiſtoria philoſophica indicatur qvot & qvænam fuerint ſectæ Philoſophorum, qvos qvæqve auctores habuerit, qvæ dogmata, qvos progreſſus & exitus. Imperiorum ſane, Regnorum, Principatuum, civitatum initia, incrementa, mutationes, res pace ac bello geſtæ, Familiarum illuſtrium incunabula, ſeries Majorum, vetu-

Digitized by Google

vetuſtarum cognationum ordines non niſi ex monumentis veterum hiſtoriarum, chronicis ac genealogicis voluminibus docentur. conf. Cl. H. Meibom. *tr. de Ducibus Saxoniæ ante Hermannum Billingium*, in variis Opuſc. Hiſtor. *p. 435. ſeqq.*

§. 13. Sed etiam qvæſtiones de univerſo Jure, ſive Gentium illud ſit, ſive civile, & hoc ſive eccleſiaſticum ſive ſeculare, ex antiqvitatum commentariis haud raro deciduntur. Cumqve de legis alicujus origine, occaſione, auctore, uſu, obſervantia priſca & perpetua, mutatione deniqve & abolitione dubitatio ſuboritur, ſi ex perſonarum viventium memoria ob rei vetuſtatem qvæſitis lumen veritatis accedere non poſſit, monumentis qvoqve hiſtoricis talium qvæſtionum arbitria deferuntur. Ita ad probationem Juris Gentium maximum nobis uſum præbent illuſtres Annalium conditores, ſic cenſente H. Grotio *de J. B. & P. lib. I. c. I. §. 14.* Id qvod reapſe demonſtrat P. Ærodius *Rerum apud diverſos Populos judicatarum* Commentariis. Pari ratione de Juris Civilis tum Juſtinianei tum aliorum Regnorum, Principatuum, Civitatum initiis, mutationibus, emendationibus, uſuqve vel continuo vel interrupto, & illius Juſtinianei cumprimis varia fortuna, atqve ab aliis extra Romani Imperii fines poſitis gentibus receptione ſtabilita ac propagata auctoritate ex Hiſtoria erudimur: ſive ea ſit continua ſerie

ſcripta, ſive aliis tractatibus juridicis inſperſa: E cujusmodi libris Arturus Duck collegit Hiſtoriam *de uſu & auctoritate juris civilis Romanorum in dominiis Principum Chriſtianorum.* Adeoqve cum illius Juris in Imperio R. G. auctoritas nitatur ejuſdem receptione & publica approbatione, hæc autem approbatio ac receptio ſit res facti, ab hujus facti demonſtratione ipſius qvoqve Juris Juſtinianei in Imperio Romano Germ. auctoritas ſuſpenſa cognoſcitur; ita ut in qvodcunqve tempus incidit illa receptio & approbatio, ab eo tempore incipiat ejus vis ac poteſtas.

§. 14. Ceterum qvod J. Bodinus *Præfat. in Meth. Hiſtor.* ait: *In Hiſtoria Juris univerſi pars optima latet*; hoc cumprimis pertinere videtur ad Jus publicum, cujus partes ſunt Jus *Eccleſiaſticum*, qvod eccleſiaſtici regiminis normam continet; *Senatorium* deniqve & *militare* ſeu *Caſtrenſe*, qvo belli & pacis negotia diriguntur. Hujus juris alia qvidem pars ſcripto comprehenſa & in vim legis promulgata, ex libris Conſtitutionum innoteſcit; alia vero & qvidem inſignis portio Juris publici moribus & conſvetudine inducta eſt. *Ea enim qvæ longa conſvetudine comprobata ſunt, ac per annos plurimos obſervata, velut tacita Civium conventio, non minus, qvam ea qvæ ſcripta ſunt jura, ſervantur.*: Verba ſunt Hermogeniani JCti, *l. 35. ff. de legibus.* Illa autem priſca obſervantia ex Hiſtoricis monumentis vetuſtioribus iisqve

vel

vel ſparſim vel continua ſerie editis unice cognoſcitur. Verum & illa publici juris portio qvæ ſcripto conſtat, ex hiſtoria ejus temporis qvo qvæqve conſtitutio promulgata eſt lucem adipiſcitur, maximam ſi hiſtoria ab homine civilium negotiorum perito debita induſtria & fide conſcripta ſit. Conſtitutionum enim oratio brevior eſt, qva tantum qvid & qva ratione aliqvid agendum ſit diſponitur; & qvamvis interdum cauſa ipſa & occaſio legis in conſtitutione memorentur, omnis tamen hæc mentio conciſa eſſe conſvevit, cujus plenior declaratio ex rerum geſtarum monumentis petenda eſt.

§. 15. Sed ad vetuſtiorum conſtitutionum interpretationem recentior qvoqve Hiſtoria ingens pondus adjicit; videlicet obſervantia conſtitutioni aut conformis aut contraria inde docetur; in qvo qvantum momenti ſit ad legum & conſtitutionum auctoritatem aut confirmandam, aut negandam, vel mediocri Juris civilis cognitione tinctis perſpectum eſt; *cùm ipſæ leges nullâ aliâ ex cauſâ nos teneant, qvam qvod judicio populi receptæ ſunt.* l. 32. §. 1. ff. de legib.

§. 16. Ad jura qvoqve & poſſeſſiones vel perſonarum ſingularium vel Collegiorum, Univerſitatum docendas qvandoqve arceſſuntur probationes ex fide hiſtoriæ & annalium. Ita qvoqve Hiſtoricis approbatis in edocenda *advocatia* nobili ſeu *armata* fidem adhibendam

esse ostendit jam supra nobis laudatus Mart. Magerus à *Schönberg. v. supr. Cap. VIII. §. 9. Jus* qvoqve *Patronatus* Ecclesiasticum ex Historicis authenticis probari docet *Finckelthaus* de Jure Patron. *c. IIX. n. 49. 50.* alleg. Nic. de Passer. de scriptura *priv. lib. 5. qv. 6.* rubr. *de libris annalium*, ubi inter alios Cardin. Tusci auctoritate sententiam illam firmat. *Filiationem* & *descendentiam* alicujus probari ex Chronicis antiqvis si constet de illorum fide, cum. Parisio concedit Menoch. *Cons. 112. n. 68. 69.* Nobilitas, item *Jus familiæ*, & *agnationis* ex libris historicis & chronicis probatur, docente Phil. Knipschild de fideicom. fam. *c. XIV. n. 37.* Agrorum, regionum, territoriorum, regnorum qvoqve confinia ex libris Historialibus & Chronicis doceri ostendit Hieron. de Monte tr. de finib. regund. *c. LXII.* Udalr. Zas. *2. Cons. XVI.* Andr. Knichen de Jure Territor. *cap. III. n. 47.* Chronicis & Historicis in re antiqva fidem habendam esse, & facere eos plenam probationem, (præcipue vero pro immemoriali possessore,) si sint bonæ fidei, certum esse apud omnes statuit Henr. Michaël. Respons. *Chilon. XIV. p. 84.* conf. supra, *Cap. VII. §. 8. 9. 10. seqq.*

§. 17. Illustris controversiæ ex Historia antiqva decisæ exemplum refert Josephus Antiqvit. Judaic. *lib XIII. c. 4.* & ex eo P. Ærodius Decretorum rerumve apud diversos populos judicatarum *lib. I. tit. 2.* cum inter Judæos

Judæos & Samaritas adi ſeditionem usqve contentio orta eſſet de antiqvitate & auctoritate templi qvod Judæi Hieroſolymis, Samaritæ vero in Garizim habebant, & utrumqve ſecundum legem Moſis conſtructum affirmarent : Re ad Ptolemæum regem Ægypti, qvi Philometor cognomento fuit delata, ipſe multos ſecum amicos in concilium vocans ſedit cauſam cogniturus, qvam utraqve pars ex lege Moſis probare deberet ; ita ut qvæ cauſa cecidiſſet ejus patronus capitis pœnam ſubiret : Et cum ſuperior in cauſa fuiſſet Andronicus Judæorum patronus, eo qvod adjutoribus libris Moſaicis de templi Judæorum antiqvitate fidem Ptolemæo feciſſet, qvomodo à Moſe primum deſcriptum, poſtea à Davide inſtitutum, poſtremo à Salomone conſtructum, ibi ſummus Pontificatus per ſucceſſionem usqve ad ſua tempora collocatus deſtinatusqve eſſet, Aſiæqve reges id donis & oblationibus decoraſſent ; Garizitanum templum minime : Rex pronunciavit templum Hieroſolymitanum vere eſſe Moſaicum ; & adverſæ partis patronos interficiendos.

§. 18. Recentius exemplum fidei hiſtoricæ ad detegendam falſitatem duplicis Inſtrumenti antiqvitatem præ ſe ferentis exhibet typis nuper vulgata *in facto & Jure veſtgegründete Wiederlegung des unterm Titul Ju-*

ſtitia utriusqve Sententiæ H. von dem Canonicat. Stifft ad S. M. vor H. ohnlängſt gegen H. L. A. von W. &c. in offenen Druck heraus gegebenen Scripti: In qvo videmus agitari controverſiam de qvorundam prædiorum ad dictum Capitulum pertinentium *libertate ab omni advocatia & ſervitio*: Ad qvam aſſerendam à Capitulo producta ſunt duo inſtrumenta alterum Sigfridi Epiſcopi Hildeſienſis, Henrici Comitis de Woldenberge alterum, ambo ſub dato 1341. Atqve ex iis anno 1682. Capitulum pro ſe obtinuit ſententiam in qva mentio facta primævæ fundationis Epiſcopi Sigfridi, cujus auctoritate reus conventus teneatur dicta prædia relinqvere libera ab omni ſervitio: Hic vero cauſa per appellationem ad illuſtre Imperii judicium Camerale devoluta, cum pars adverſa juſtitiam cauſæ ſuæ ſcripto typis impreſſo illuſtrare niteretur, confutationem illius adornandam ſibi eſſe duxit: In qva contendit duo illa inſtrumenta, è qvibus pars adverſa victricem ſententiam obtinuit, falſa eſſe & ſupoſititia; argumento è *loco repugnantium* deducto: De qvo Cic. in Topicis ad Trebatium; *qvicqvid repugnat, id ejusmodi eſt ut cohærere nunqvam poſſit.* Jam verò ex Hiſtoriis probatis, Kranzii Metropoli, Buntingii Chronico *des Stiffts Hildeßheim* & Catalogo Epiſcoporum Hildeſienſium oſtendit Auctor confutationis Sigfridum II. & ultimum

timum hujus nominis mortuum esse anno 1310. d. 27. Aprilis, & sepultum in medio Cathedral. templi H. sub corona, ubi monumentum ejus adhuc conspicuum; Ultimum autem è familia Comitum Woldenbergensium anno 1331. vita functum, & comitatum illum Episcopatui incorporatum esse: Unde per rerum naturam fieri non potuisse ut ille Sigfridus Episcopus & Henricus Comes Woldenbergensis anno 1341. adhuc confecerint Instrumenta donationum & confirmationum, è qvibus adversa pars prædiorum suorum immunitatem à servitiis demonstrare satagit. Sed hæc solummodo in exemplum adducta, Historiæ in foro contentioso usum evidentissime demonstrant.

§. 19. Et hæc qvidem auctoritas Historiæ antiqvæ eo casu longe potentissima est & vim scripturæ ab adversario agnitæ ac recognitæ obtinet, si adversarius ejusdem historiæ allegatione causam suam instruat. vid. Henr. Michaël *d. conf. XIV. p. 85.* Cui enim ipse credidit, qvodqve protulit, & ex qvo contra adversarium causæ suæ justitiam firmare nititur, hoc ipsum si & pro se adversarius produxerit, improbare nullo modo potest. τοῦτο γὰρ ἂν διαβάλοι. Novell. XLIX. *c. 2. §. 2.* Neqve obstat qvod historiarum fides certa ratione dividua sit, uti supra *cap. IIX.* ostensum: Hoc enim de iis historiæ

partibus intelligi debet, in qvibus ratio divisionis certa ac manifesta est, prout ex *d. c.* IIX. §. *6. 11. 18.* patet. Qvisqvis igitur illam in historica narratione separationem urget, nec causam separationis urgentem ac concludentem docet, nodum in scirpo qværere existimandus est, & audire debet illud ex *l. 19. ff. ad exhibend.* NON OPORTERE JUS CIVILE (&, qvæ hujus præsidiô firmata est, historiæ fidem) CALUMNIARI: Sed in illo qva mente, in hac qvo auctoritatis firmamento unumqvodqve dictum sit, animadvertendum.

DE

DE CONJUNGENDIS JURISPRUDENTIÆ ET HISTORIARUM STUDIIS

ORATIO

In novi Juléi auditorio majori
publicè habita

IↃ IↃ CLXVII. X. Junij.

Digitized by Google

CHRISTOPHORUS SCHRADER

Eloqventiæ Profeſſor

ACADEMIÆ CIVIBUS STUDIOSIS

S. D.

Attulit ad me heſterno die orationem à ſe elaboratam commilito veſter, juvenis præclarus JOHANNES EISENHART, qvem cum Avunculi ſui commendatio ante qvadriennium mihi primum conciliaſſet, ingenii ſui præclara dos, & flagrans diſcendi ardor, & compoſiti mores poſtea cariſſimum reddidere. Sontica ipſi cauſa eſt cur citra temporis dilationem audiri cupiat. Ego vero qvi paucos adeo in publico dicere fero ægerrime, nec, qvicqvid moliar, mutare valeo, non tantum moram objicere nullam, ſed currenti calcar potius addere volui. Elegit argumentum auribus eruditi cœtus plane dignum, JURISCONSULTUM, videlicet, ſi officio ſuo probe fungi annitatur, HISTO-

Digitized by Google

HISTORIA CARERE HAUD QUAQUAM POSSE. Qvod qvidem an satis valide, satis diserte demonstret, coram, qvæso, CIVES, arbitramini, atqve hac fini ad crastini decimam horam in magno Juléo frequentes comparete. Erit Magnifico Domino Pro-Rectori, & toti Collegio Professorio concio vestra, ut nunqvam non, ita hac qvoqve vice, uno conspectu gratissima, & qvidem qvo densior, eo acceptior. Attentio vero & de conatu dicentis æqva existimatio vestra, non ipsummet tantum, sed & me vobis arctius obligabunt.

V. O. P. P. X. Jun.

cIↃ IↃ CLXVII.

P. P.

Digitized by Google

P. P.

QVotqvot ex noſtro & veteri ævo de optimarum artium ſtudiis ſententiam ſuam ſcriptis expoſuerunt, etſi diverſas atqve inter ſeſe diſcrepantes haud raro ſectantur opiniones, tamen in hiſtoriæ encomiis conſentire deprehenduntur omnes. Præſtantiſſimus Sapientiæ M. Tullius hiſtoriam vitæ magiſtram appellare non dubitavit. Hujus effati veritas adeo manifeſta viſa eſt omnibus qvi poſt Ciceronis tempora ſcripſerunt, ut eandem ſententiam nunc iisdem, nunc commutatis verbis paſſim ab auctoribus repeti videamus. In medium producerem aliqvot loca id qvod dixi planum facientia, niſi ea eruditiſſimis hominibus, ad qvos nunc ſermonem habeo, etiam me non monente in mentem venire cogitarem. Sed cur tam præclarum munus, vitæ huma-

humanæ magiſterium, hiſtoriæ aſſignare ſapientibus viris placuerit, cauſa non una fuiſſe videtur. Obſervatum fuit plerosqve mortalium eo eſſe ingenio præditos, ut vitam moresqve ſuos aliorum exemplo potius qvam ſuapte natura ad virtutem flecti & à vitiis abduci patiantur. Qvandoqvidem vero eorum qvi honeſte aut turpiter vitam egerunt, qviqve ſæpius etiam in hac vita probitatis ſuæ præmium, aut flagitiorum pœnas accepere; qvoniam hujuſmodi hominum imaginibus abundant clariſſimorum ingeniorum monumenta, qvæ rerum humanarum ſeriem ac vices loqvuntur; nemini mirum videbitur ob inſignem & latiſſime diffuſam utilitatem hiſtoriam tam illuſtri elogio exornari. Præter hunc communem, & omnis generis hominibus paratum fructum præcipuum aliqvod ab hiſtoria emolumentum in ſe derivari non ignorant literarum & humanitatis, atqve humano generi utilibus ſtudiis addicti. Nam & apud illos qvi pleniorem, qvam qvæ humana ratione perſpecta eſt, rerum divinarum notitiam

tiam profitentur, & penes legum omnisqve juris & æqvitatis Doctores eximia laude feruntur ſcriptores rerum antiqvarum. Non dicam nunc qvot nominibus, & qvo precio hiſtoriam æſtiment omnes qvi ingenuis artibus & Philoſophiæ ſtudiis excellunt; licet haud injucundum foret tum hoc oſtendere, tum & explicare, qvanam in re præcipue ſpectetur, & qva via qvibusqve modis in ſingulis diſciplinis percipi qveat tot elogiis celebratus hiſtoriæ fructus: Sed hæc res eſt ſupra ingenii mei mediocritatem poſita: Et ſi qvis alius aptus & cupidus tractare conaretur illud argumentum; non tamen brevi temporis ſpatio, qvod ad dicendum conceditur, id præſtiterit. Ut tamen ex parte perſpicuum evadat, non temere, nec ſpecioſis magis qvam veris laudibus evehi clarorum virorum in rebus antiqvis memoriæ prodendis impenſos labores & curas, conſtitui hoc tempore in illuſtri hoc Auditorio brevi oratione perſeqvi, qva ratione ex Hiſtoria non in vitam & mores hominum, ſed in altiora Scientiarum ſtudia,

& qvidem in Juris diſciplinam maxima proficiſcatur utilitas : Adeo ut ii qvi operam ſuam legum cognitioni conſecrarunt, & ad intima juſti & injuſti ſcientiæ penetralia pervenire exoptant, non poſſint nec debeant inſuper habere veteris ævi monumentorum lectionem; ſed in ardua adeo diſciplina feliciter verſaturis neceſſarium eſſe ex hiſtoria rerum civilium lumen arceſſere. Hujus in me ſuſcepti operis tractationi cum tantus intereſſe voluerit ſummorum Virorum ordo, & Nobiliſſimorum Juvenum numerus, intime lætor, tam magnum à Vobis, Auditores omnium Ordinum Honoratiſſimi, ingenuis hiſce ſtudiis honorem haberi; cujus particulam, qvod ſubmiſſa & grata mente agnoſco, & in me redundare ſentio. Æqvum vero eſſet in Venerabili hoc conſeſſu & nobiliſſima Civium Academicorum concione nihil dicere inconveniens aut ingratum tam eruditis auribus; ſed qvoniam plenam hujus rei ſpem ingenii mei vires mihi non promittunt, enixè rogo ut orationis meæ defectus Veſtra humanitate ſuppleatis.

Atqve

Atqve ut hinc mea proficiſcatut oratio, videtur à natura animis mortalium indita cupido rerum origines pernoſcendi : Eluceſcit illa in omnibus cum ingenuarum tum ignobilium artium ſectatoribus , qvorum ſinguli artis ſuæ primordia mirabili cum voluptate aut legunt aut narrari audiunt. Certum itaqve eſt & iis, qvi Juri diſcendo dant operam, ineſſe qvoddam qvaſi naturale deſiderium, à qvo ad cognoſcendos legum ſuarum natales excitentur. Sed Juris origo non niſi ex antiqvitatis memoria innoteſcit. Qvamvis enim ſolo qvoqve mentis diſcurſu inveſtigare detur, rem aliqvam ortum habere: attamen & tempus, & locus, & occaſio, & modus ſolo ſenſu deprehenduntur. Qvæ vero multis abhinc ſeculis nata ſunt, eorum profecto incunabula noſtris oculis non fuere conſpecta. Neceſſe itaqve eſt ad eos hîc recurramus , qvi res ſua ætate geſtas memoriæ ac literis prodidêre. Hac ratione & unica hac via ad Juris Publici originem deducimur. Norma enim & ratio publici regiminis cum ad naturam ac mores

populi, ad temporis & loci ingenium ſit accommodanda, non eſt divinitus conceſſa, aut à gentibus communi & æternam vim habente ſuffragio conſtituta, ſed à ſingularum civitatum rectoribus in uſum ſuæ Reipubl. inventa & adornata; qvæ proinde, ut alia qvæ ſunt facti perantiqvi, qværenda eſt in tabulis temporum. Par eſt ratio legum civilium, privatas ſubditorum actiones dirigentium. Conſvetudines cujusqve populi aut civitatis, qvarum cognitio qvibuſdam neceſſaria eſt, omnibus perjucunda, nos ad antiqviſſimi temporis hiſtoriam invitant. Mediæ ætatis ſcriptores apud Germanicas nationes receptarum de feudis conſvetudinum aut conſtitutionum origines docere apti ſunt: Et Cujacius de Guntheri Ligurino, *Melius*. ait, *eum nonnulla Juris Feudalis explicare, qvam tota Feudiſtarum fæculenta cohors.* Qvod ſi qvis generoſo impetu ad illud populorum ac nationum commune vinculum Gentium jus cognoſcendum rapiatur, qva ratione gentes idipſum ex inſita honeſtatis notione, *uſu & neceſſitate* generis

ris humani *exigente*, propagatum continuo uſu firmârint, inter alios docebunt illuſtres annalium conditores. Apparet igitur, A. H. nullius ferme juris originem extra hiſtoriam inveniri. Sed non tantum ortus ac primordia, verum & intimam legum naturam ac vim cognituris neceſſariam eſſe hiſtoriarum lectionem nunc eſt demonſtrandum. Conſtat inter omnes legibus corrigi ac ſanari morbos & vitia animorum: Qvemadmodum enim nihil tam firmum eſt ac conſtans in rerum natura, qvod non aut vetuſtate corruat, aut externa vi labefactetur, aut deniqve indita ſibi ad interitum proclivitate vitium contrahat & à primævo ſtatu ſuo dimoveatur: Sic & animus humanus ſæpius vagatur extra terminos ſibi à natura præfixos; imo in nonnullis non tantum ſingulis hominibus, ſed integris qvoqve nationibus interdum qvaſi obbruteſcit. Aſt cum civitates hunc in finem ſint conſtitutæ ut homines in officio continerentur, & humano more vivere ſeu inciperent ſeu perſeverarent, mortalium animis ægrotan-

tibus medicinam humana prudentia per leges ſuas adinvênit. Ut autem corpori, ſic & animo male affecto remedium applicaturus, ante omnia morbi naturam, viciſſitudines ac ſtatus cognoſcat neceſſe eſt. At morbi animorum in hiſtoria deteguntur: Hæc enim non ſolum qvæ juſte ac moderate, ſed & qvæ iniqve, iracunde, impotenter ac nefarie ſunt perpetrata, memorat. Igitur qvi intima legum penetralia intueri deſiderat, corruptos ſeculi mores & multiplicem in hominum animis vitiorum indolem in veterum monumentis, par eſt, ut ſimul contempletur. Qvamvis nunc legum & initia & interiorem notitiam ex rerum geſtarum memoriâ producendi neceſſitas ſatis acri ſtimulo concitare qveat Juris cultorem ad conjungendum Juriſprudentiæ & Hiſtoriæ ſtudium; tamen & aliæ rationes firmiſſimæ idem evincunt. Adeſte animis, Auditores, & qvam initio mihi benevole accommodaſtis, attentionem continuate. In omni Juris diſciplina nihil eſt qvod magis perplexos reddat diſcentium animos, qvam immen-

menſus aliarum ſuper alias acervatarum & haud raro inter ſe pugnantium legum cumulus. Audire licet, aliam legem eſſe antiqvatam, aliam non eſſe receptam, aliam auctam aut correctam, & neſcio qvibus modis immutatam. Qvo tempore, & qva occaſione, & cujuſnam neceſſitatis impulſu id factum, ex antiqvis ſcriptoribus unice diſcitur. Scilicet mutatis hominum moribus vix poteſt eadem forma regiminis obtinere; ſed hujus immutatio leges qvoqve nunc omni, nunc aliqva ex parte alias poſtulat. Sæpius etiam manente ejusdem ſtatus imagine moribus licet ſubditorum ſive in melius ſive in deterius immutatis, nihilominus leges nunc exaſperare, nunc emollire neceſſe eſt. Initio rerum noluit Deus O. M. parricidam Cainum ob perpetratam cædem meritô capitis ſupplicio affici; tantum ejus commercium devitari juſſiſſe contentus. At cum Lamechus edictum divinum latius forſan qvam par erat interpretaretur, & ſibi qvoqve impunitatem iſthoc ab exemplo promittere auderet; ac præterea ſucceſſu temporis invale-

ſceret promiſcua cædium licentia, Deus poſt diluvium ſublata priorum ſeculorum lenitate edixit, terram inpoſterum non poſſe expiari niſi ſanguine homicidæ fuſo. Qvippe æger & flagrans hominum animus cum majoribus libidinibus ardeſceret, acrioribus remediis fuit reſtinguendus. Apud Romanos antiqviſſimis temporibus non erat ſcripta lege vetitum etiam patronos & dominos & parentes obtorto collo in jus rapere; dum inſitæ inferioribus erga ſuperiores, Patronos nempe & Parentes, venerationi legislator confidebat; cum autem audacia hominum latius qvam Legislator vellet, evagaretur; intolerandam illam licentiam lege poſita prohibere opus habuit. Idem dici poſſet de multis aliis qvæ ſatis rigide, crudeliter atqve impie à nonnullis uſurpata temporis ſucceſſu diſertis conſtitutionibus ſunt prohibita. Ita cernere eſt in theatro vitæ humanæ, qvod optimi Scriptores in monumentis ſuis erexêre, alios ex ſancta & ſimplici vivendi ratione in flagitia & dedecora præcipites ruere, alios ex barbarie emer-

emergentes placidos mores & mitia ingenia nanciſci. Pro qvarum rerum diverſitate Jus qvoqve qvod civilis vitæ moderamen continet, faciem nunc magis auſteram, nunc leniorem induit. Haud injucundum fuerit & in patriæ noſtræ rebus ſpatium reſpicere præteriti temporis, & Germanicarum legum memoriam recordari paulo antiqviorem. Malo autem eorum nunc meminiſſe qvæ Majorum noſtrorum ſeculi vitio contractam in moribus labem ſucceſſu temporis correctam atqve emendatam fuiſſe demonſtrant. Igitur cum apud veteres Germanos infimæ ſortis homines duro ſervitutis jugo adhuc premerentur, dirus & ab omni humanitate alienus mos inoleverat, ut ſi ſubditus aliqvis diem ſuum obiret, præcipua ejus ſupellex ad dominum pertineret, & ſi non eſſet tanta bonorum relicta copia, qvæ debito, qvod Magiſtratus jure ſibi vendicabat, exſolvendo ſufficeret, defuncto manus dextra amputaretur ad dominum mittenda. Hanc crudelitatem animis hominum, non hoſtium aut latronum, ſed eorum qvi ad

gubernacula Reipubl. ſedebant, & jam ab aliqvot ſeculis Chriſtianam fidem profitebantur, inſediſſe haud facile qvis ſibi perſvaderit; niſi conſentiente plurium narratione, atqve ita indubitata ſcriptorum fide convinceremur. Scilicet non ſatis erat miſeros mortales toto vitæ tempore ad nutum ſævientis domini paratos fuiſſe, cum qvicqvid ſudore, qvicqvid continuo & graviſſimo labore ſuo ſuorumqve corradi poterat, ad rationes domini referendum eſſet; niſi etiam poſt vitam acerbe ac miſerabiliter actam uxor ac liberi præter extremam paupertatem mariti parentisqve ſui ludibria qvoqve deplorarent. Hæc ſi apud Barbaros omnisqve divini ac humani juris contemtores contigiſſent, titulus adeſſet, qvo infandam hanc ſævitiam ſtupiditatis aut ex inveterata immanitate emergentis erroris ſpecie velares: At cum ab iis ſint uſurpata, penes qvos non tantum à parentum, ſed & avorum ac majorum memoria Chriſtiana religio viguerat, qviqve eandem ſeu auctoritate ſua protegebant, ſeu doctrina propagabant;

non

non video qvid tantam crudelitatem poſſit excuſare. Prævaluit tamen inſeqventi tempore conſcientia & ratio, cum glorioſiſſimus Imperator Fridericus I. conſenſu Ordinum iſtam conſvetudinem ſcripta lege abrogaret. Invitus qvod ſeqvius ſit de patria mea loqvor: Cum tamen antiqva non ignorantibus conſtet talem eo tempore fuiſſe rerum noſtrarum faciem, & qvia iſtud morum dedecus jamdudum ex Germanicæ Nationis animis exterminatum eſt, eum ſolummodo in finem mentio illius à me facta eſt, ut oſtenderem qva occaſione & in Germanico populo jura ſcripta paulatim emendata ſint. Tempus jam non permittit prolixius hoc argumentum perſeqvi; ex dictis tamen, ut opinor, notum eſſe poteſt qvod legum & conſvetudinum abrogationes, emendationes & reliqvæ in Jure mutationes, qvocunqve nomine veniant, una cum ſuis cauſis & momentis, in veterum monumentis ſint reconditæ. Illuſtri documento id ipſum noſtro ſeculo compertum eſt, cum ex vetere hiſtoria veram de Juris

Romani in Germaniæ fora introductione ſententiam, multis antea erroribus involutam, ſummorum Virorum diligentia in lucem protraxit. Sed qvoniam attigi cogitatione celeberrimum toto orbe Romani Juris nomen, cum ejus auctoritas paſſim in Rebuspublicis ampliſſima ſit, æqvum eſt ac neceſſarium id ipſum magno ſtudio doceri & diſci. At qvanta ſit hujus ſtudii difficultas, qvanta legum Romanarum obſcuritas, qvam intricatus ſæpe ac reconditus Conſtitutionum Imperialium ſenſus, etiam Viri docti identidem conqveruntur, & ab omnibus qvi ſerio ſeſe huic ſcientiæ dedunt, facile animadverſum iri puto. Ut autem qvi in ignoto & opaco multisqve anfractibus impedito ſaltu iter faciunt ductorem ſemper, lumen ſæpe deſiderant: eadem ratione in Juriſprudentiæ ſtudio præter ductores & Doctores aliis qvoqve opus eſt adminiculis qvæ animo diſcentis in rerum obſcuritate velut in tenebris oberranti facem præferant, & proſint ne erroribus ac præjudiciis imbuatur. Nec enim in ullo ſtudiorum genere

nere vivæ vocis beneficio ſemper frui datum eſt, aliqva pars eruditionis domeſtico ſtudio & privatæ induſtriæ debetur. Qvicqvid vero obſcuritatis in legum verbis ac mente percipiendis impedimento eſt, magnam partem hiſtoriæ lumen illuſtrabit : Qvippe cum in legum Codice legislatoris vox tantum exaudiatur, ſcriptores rerum geſtarum ejusdem ingenium & mores & prudentiam regnandi, nec non defectus omnium oculis exponunt. Cum in legis textu occurrit aut obſcura appellatio aut titulus inſolens aut munus incognitum, in annalibus hæc omnia veluti in ſolis luce ſunt conſpicua. Cum negotii alicujus forma & modus ſcripta lege definitur aut immutatur, cum facinus aliqvod ſevere prohibetur & ſupplicia contumacibus decernuntur, qvod Jura paucis & conciſe proponunt, coætanei ſcriptores plenius & uberius exeqvuntur. Vereor ne abuti Veſtrâ A. Optimi patientiâ, & in rei propoſitæ tractatione modum ignorare videar ; ſed qvoniam dicere conſtitui & jam majori ex parte dixi qvibus rationi-

tionibus oſtendi qveat Jurisprudentiæ ſtudium indigere hiſtoriarum luce, nihil qvod ad hanc rem aliqvod momentum afferre poteſt, prætermittendum duco. Qvandoqvidem igitur nonnulli teſtimoniis & exemplis auſcultant magis qvam rationibus, ſi cum hujuſmodi ingeniis mihi res foret, producerem iis graviſſimum teſtem Bodinum; is vero ita ait : *In hiſtoria Juris univerſi pars optima latet : Qvodqve ad leges optime dijudicandas magni ponderis eſt ac momenti, mores populorum ac Rerum omnium publicarum initia, incrementa, ſtatus, converſiones, exitus ab ea derivantur.* Idem de Svetonio ac Tacito hunc in modum: *Eſt in Tranqvillo plurima Romanæ vetuſtatis & antiqvi juris imago, multæ leges, edicta, SCta, qvæ nuſqvam alibi reperiuntur ; qvæ vero qvalisqve fuerit Principum cognitio & jurisdictio , ſolus pene Tranqvillus cum Tacito ſcribit: Ex qvo plurimum lucis accedit ſcriptis JCtorum.* Hæc ille: qvæ facile aſſenſum merebuntur , ſi unqvam docti alicujus viri auctoritas valuit apud eos qvi ſeſe ad hu-

humanitatis ſtudia easqve artes contulerunt qvibus juventus inſtruitur ad uſum forenſem. Sed omnium qvi tam inſignem fructum ex antiqvis ſcriptoribus in Jurisprudentiæ ſtudium promanare affirmant, ſententias enumerare & temporis & loci ratio prohibet. Multo illuſtrius, qvam ulla ratio, ſummo cum fructu conjungi Juris & Hiſtoriæ ſtudium, oſtendunt ſuperſtites illorum JCtorum labores qvi præter legum præcepta, uſumqve forenſem, etiam præclaris artibus omnisqve antiqvitatis accurata cognitione inſtructi fuerunt. Ut paucorum ex hoc numero mentionem nunc inferam, qvoniam de abſentibus & jam defunctis ſine adulationis ſuſpicione me dicturum arbitror, ſiſto hîc Barnabam Briſſonium, Antonium Auguſtinum, Jacobum Cujacium, Franciſcum Hotomannum & æternum Galliæ decus Carolum Molinæum. Qvod ſi aliqvi in illuſtranda legum doctrina aliqvod operæ precium fecerunt, hos certe id præſtitiſſe conſtans eſt doctorum ſententia. Sed qvi de illorum ſcriptis judicium ſuum inter-

interpoſuêre, fatentur, nunqvam potuiſſe hos viros ad tantam omnis juris peritiam tantamqve leges interpretandi dexteritatem pervenire, niſi inter cetera & vetuſtatis cognitionem magno ſtudio excoluiſſent. Qvod ſi non hic tantus fructus oſtenderetur & ſi qvis Juris cultori hiſtoriarum lectionem tantum ob delectationem commendaret; tamen, ut opinor, hæc animi remiſſio humaniſſima ac liberaliſſima judicanda foret. Cum enim, ut ſapientiſſimi Viri memoriæ prodidêre, qvodqve cuivis bene educato ſponte in mentem venit; cum, inqvam, diſcere aliqvid & admirari ſuapte naturâ jucundum ſit, neceſſe eſt eos libros, eaqve ſcripta qvæ plurimum admirationis pariunt eſſe jucundiſſima; ſed qvid rerum geſtarum ſcriptoribus hac in re comparari poſſit non intelligo. (*Orationi & carmini parva gratia, niſi eloqventia ſit ſumma; Hiſtoria qvoqvo modo ſcripta delectat.* Plin. lib. 5. Ep. IIV.) Videmus plurimos fabulis & inanibus commentis mirum

in

in modum delectari : Qva dulcedine poterit animum permulcere eorum, qvæ revera aliqvando extiterunt & gesta sunt summis ingeniis elaborata & polita narratio ? Tanta certe in omni fortuna & in qvovis studiorum genere voluptas ex antiqvis monumentis capitur, qvanta à me verbis exprimi non potest. Ego vero illud tantum nunc contendo, non solum ob incredibilem suavitatem, sed & ob maximum usum, &, qvod fortissimum est, ob summam necessitatem veræ Jurisprudentiæ operam navanti Historiam commendari. Qvæ qvidem omnia non possunt ignorari, si, qvod ipsa Juris origo, qvod omnis legislationis consilia, qvod legum mutationes unà cum earundem causis & momentis ac eventibus in antiqvis monumentis sint perscripta : Si deniqve, ipsis legum verbis & sententiæ ex historia lucem affundi, rite perpendatur. Vos jam A. O. O. H. qvoniam audivistis qvæ in præsenti dicere constitueram, si non omnia illustris hujus Auditorii digni-

dignitati & Veſtræ Amplitudini atqve exſpectationi reſpondent, ingenio meo, & ætate & eruditione nondum maturo, ignoſcite. Ego Vobis &c. &c. omnem obſervantiam, omnemqve amorem qvem hactenus exhibui, & nunc offero & in poſterum exhibebo.

INDEX

Staatsbibliothek München

Digitized by Google

INDEX AUCTORUM

P. Ærodius 161.
Alciatus 47. 85. 125.
Ariſtoteles 6. 14. 17. 19. 25. 48. 56. 57. 73 101. 156. 157. 160.
Artis hiſtoricæ Penus 2.
J. Aventinus 108
S. Auguſtinus 56. 87. 88. 105.
Anton. Auguſtinus 145.
Azo. 119.

B.

Fr. Baco de Verulam. 30. 158.
Fr. Balduinus. 3.
Baldus. 41.
Barboſa 37.
Barclajus 135.
Baronius 132. 138.
Barthii & Seileri Collectio Sentent. Cam. 71.
Bartolus 90. 123.
Jo. Bodinus 2. 3. 75. 93. 96. 162. 188.
Mart. à Boeckellen. 86
Boeclerus 84.

C.

Canonicum Jus. 35. 42. 46. 48. 67. 89. 121.
Melch. Canus 57. 58. 73. 79. 86. 94. 112.
Carpzovius 90.
Dan. Chamier 88.
Dav. Chytræus 2.
Cicero 4. 9. 10. 87. 135. 157. 166.
Scipio Claramontius 133. 134

Digitized by Google

J. Cluten. 70
Codex repetitæ prælectionis 62. 85.
Phil. Comineus 109
H. Conringius 18. 33. 140. 141. 150. 151.
Conſtitutio Imperii de Notariis 12
A. M. Coratius 104
Jo. Cornandus de la Croſe 27
Covarruvias 122
Aymo Cravetta 69. 74. 91.
Cujacius 178
Q. Curtius 102

D.

Jo. Dallæus 148. 149. 150. 160.
Decianus 43
Dietericus 80
Digeſta 3. 9. 10. 35. 36. 37. 40. 49. 112. 116. 120. 121. 125. 162. 163. 168.
Jo. Dilectus Durantes 68
Arturus Duck 162

E.

Eraſmus Roterodamus 160
G. Everhardus 51. 63. 77
Nic. Everhard. à Middelburg 62

F.

Farinacius 122. 123.
Felinus Sandæus 60. 73
Joh. Petr. de Ferrariis 39. 52
S. Finckeltaus 146
Ub. Folieta 20. 26
Ah Fritſchius 71

G.

Andr. Gail. 43. 55. 122.
Alb. Gentilis 88. 93. 133
Gilken 68
Gloſſa jur. can. 34. 69
Gobelinus Perſona 140 149.
H. Goden 145
D. Gothofredus 37. 90.
H. Grotius 73. 109. 110. 113. 144. 161.
Adr. Gylmanus 63. 66. 71.

H.

Jo. Hallervord 2
Hedio 11. 103.
Nic. Henelius 80
Fr. Hiltropius 122. 126.

G. Hor-

Digitized by Google

G. Hornius 22
Huetius 17. 104. 105. 106

I.

Innocentius 69
Joſephus 164
Invenalis 98.

K.

Barth. Keckermannus 2. 4. 16. 26. 27. 28.
Klockius 71. 122. 124.
Andr Knichen 81. 164.
Ph. Knipſchild. 71. 164
Jo. Koppen. 71

L.

Conr. Lagus 28. 29
P. Lambecius 80. 130.
Jo. de Launoy 27. 131. 132. 137. 142. 143. 144. 146. 149. 151.
Chr. Lehman 150
J. Limnæus 71. 80.
Lucianus 5. 113.

M.

N. Machiavellus 19
M. Magerus à Schönberg 34. 70. 74. 90. 146. 164.
S. Mareſius 134. 136. 141. 142. 147.
Joſ. Maſcardus 25. 39. 43. 44. 46. 50. 71.
Er. Mauritius 53
S. Medices 62
H. Meibomius 27. 161
H. de Mendoza 11. 13. 114
Jac. Menochius 70. 88
Henr. Michaelis 70. 112. 164. 167.
P. Friderus Mindanus 49
Hieron. de Monte 164
Joh. Muſæus 13
Petr. Muſæus 103. 104. 114.

N.

G. Naudæus 141
Corn. Nepos 17. 24
Novellæ Juſtiniani Conſtitutiones 60. 61. 87. 141. 167.

O.

Jo. Oldendorpius 126
Ovidius 84

P.

Fulv. Pacianus 35. 39. 53. 66. 123. 124.
G. Pancirolus 23
Panormitanus 41
Gv. Papæ 35
Nic. de Paſſeribus à Janua 61. 68. 71
Philo 17

Digitized by Google

Plinius 10. 22. 84. 150
Plinii epistolæ 190
Vinc. Placcius 158
Polybius 20, 21.
R.
Fr. Rhetius 80. 85. 93. 96
M. Edmundus Richerius 149
Richterus 90
Mich. Routartius 2
Rupertus ad Besold. 80. 133. 150.
S.
Scaccias 45
Andr. Schottus 140. 145
H. Schurff. 61
J. Sinold Schutz 50 73
Seneca philosophus 33. 75. 120.
Seneca Tragicus 49
Jo. Sichardus 42. 63. 90
Ed. Simsonius 2
Solinus 23
Speculator 42. 43. 89
Benv. Straccha 63. 66
Jo. Strauchius 141
Jo. Sturmius. 14
T.
Tabor 46. 50. 90.
Tertullianus 107
P. Theodorici 49
Tilem. de Benignis 71
Trithemius 141
U.
Alvar. Valascus 68
Fern. Vasqvius 35. 41. 47. 51. 66. 74.
Velthusius 114. 115. 116.
Nic. Vigelius 9. 10.
Jo. Andr. Viperanus 4
Ilic. Ummius 52. 60. 61. 67. 73. 124. 126.
Vopiscus 86
G. J. Vossius 2. 3. 4. 16. 25. 51. 86. 87. 88.
W.
G. Werner. 41. 42. 44. 45.
Deg. Whear 2. 92. 93. 96. 99.
Z.
Vdalr. Zasius 53. 70. 74

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM.

A.

Acciajolus *historiæ Caroli M. scriptor* 97.

Actionum *humanarum duo principia potestas & voluntas* 18. 19.

P. Æmilius *Historicus fide dignus* 97. 137. 138.

Alexandri M. *rerum Scriptores* 150.

Amicitia *fide conservatur* 56. 57.

Anastasius *scriptor vitarum Pontif. Rom.* 141.

Annius *Viterbiensis Historiæ falsarius* 140. 141.

Anonymorum *Historiæ fide dignæ* 109.

Antiqvum *in materia probationis qvodnam dicatur* 74. 75.

antiqva res qvibus argumentis demonstretur. 35. 36. 50. 137. 139. 164.

Archivorum fata 28.

Argumentum *qvid* 14. *ad fidem faciendam pertinet.* 14. *interdum plura conjungi debent* 36. 37. κατ' ἄνθρωπον 103. *argumentum morale*

Digitized by Google

rale 115. *ab auctoritate hiſtoriæ qvomodo formandum* 102. *qvale ſit* 101. *ab auctoritate humana negata valet & ampliſſimum habet uſum* 146. 147. 148. 149. *qvo caſu hoc argumentum concludens ſit* 151. *e loco repugnantium* 166
Ariſtotelis *libros genuinos eſſe qva ratione probetur* 105.
Ars *hiſtorica ab uſu hiſtoriæ diverſa* 3. *artis hiſtoricæ ſcriptores* 2. 3.
Artes *ac Scientiæ ex hiſtoria ortum & augmentum habent.* 157. 158.
Artifex *ex arte ſua judicium in ſcriptis poteſt interponere* 85.
Atteſtatum, *an & qvando per ſcripturam factum probandi vim habeat* 123. 124.
Auctoritas *qvid.* 104. *unde nomen deſcendat.* 103. *provide monſtrativa ſumitur* 14. 15. *auctorem eſſe & auctoritatem habere differunt.* 103. 104. *auctoritas perſonæ & rei ab ea productæ tribuitur* 103. *auctoritas hiſtoriæ qvalis* 102 *auctoritas nuda nec à Dialectico attenditur nec in hiſtoria ſufficit.* 102. 103. *qvomodo auctoritas fidem in nobis gignat.* 104. *auctoritas negative an probet* 146. *ſeqq. auctoritas*

tas veterum habet vim aliqvam probandi 85.
J. Aventini *Annalium Bojorum libri* 108. *à Ziglero mutilati.* 142.
Augmenta *Scientiarum in qvibus consistant.* 187. 158.

B.

Pseudo - Berosus Annii 140.
Bertiniani *annales* 142.
Bossiana *Chronica rerum Mediolanensium.* 70.

C.

Cæsaris *Commentarii genuini qva ratione probentur* 105.
Carbonaria fides 14.
Carionis *Chronicon* 159.
Certitudo *& opinio de eadem re apud diversos homines potest esse.* 14. *Certitudo physica* 10. 13. *moralis* 11. 13. *hæc interdum æqvipollet physicæ* 36, *gradus certitudinis* 114. *certitudo rerum futurarum an detur* 18 *certitudo principiorum cognoscendi tripartita* 113. 114.
Christus *cruci affixus ex historia demonstratur.* 36.
Chronica v. Historia.
Ciceronis *Epistolæ historiam Romanam illustrantes* 24.
Civilis *scientia ex historia civili augetur.* 160.
Claritas *facti ad fidem historiæ multum valet* 132.

Cognitionis *principium est sensus & ratio* II. 12. *cognitio sensum an fallax sit* 10. *Cognitio universalium & singularium qvænam sit & unde oriatur.* 154. *an utraqve illa ex historia haberi queat* 156.
Columnarum inscriptiones *an fidem faciant.* 69. 154.
Ph. *Cominei historia* 97. 105. 109.
Constantini Imp. *donatio falsi convicta* 79. 80.
Consvetudo *per qvale testimonium probetur.* 68.
B. Corii *Historia* 70.
Credere *qvid denotet in jure civili* 10. *credenda sunt multa qvæ in oculos non incurrunt* 56. 57. 112.

D.

Dares Phrygius 108.
Demonstrativa *vis scripturæ unde accedat.* 67
Diarium *Europæum* 76
Dionysii Halicarnassei *historia fide digna* 93
Diplomatum *vetustorum genuinitas & falsitas qvibus argumentis demonstretur* 141. 142. 166.
Dispositiva vis *scripturæ unde insit & qvos habeat limites* 66
Disputare κατ' ἄνθρωπον 103
Diversitas *narrationis*

Digitized by Google

tionis de eadem re an hiſtoriam reddat falſam 134
Divinatio *qvid* 17 *an & qvænam in recta ratione fundamenta habeat.* 17. 18. 19.
Documenta & diplomata *integra an hiſtoriæ debeant inſeri* 27. 28.

E.

Eccleſiaſtica hiſtoria *qvam habeat utilitatem* 160. *ejus depravatio* 93. 94 *cenſores & repurgatores* 95. 96. 149. 150. 151.
Eginhartus *in laudibus Caroli M. nimius.* 97
Epiſtolæ hiſtoricæ 24
Evidentia *phyſica* 10. 13. *metaphyſica an in fide hiſtorica detur* 114. 115.
Experientia *qvid.* 150. *unde ea acqvirenda* 156. 157.
Eyzingeri *Theſaurus Principum genealogicus.* 99.

F.

Fabuloſæ *ſcripturæ ſpecies* 59. *narrationis & hiſtoriæ differentia.* 130. *ejus uſus.* 4. *delectatio.* 110. *pluribus hiſtoriis inſperſæ.* 95.
Facta *actus permanentis, interpolati & tranſeuntis.* 41. *manifeſta & occulta.* 41. *facti plena diſcuſſio qvænam ſit* 49. *in facto jus poſitum.* 49. Facti qvæſtio *qvibus membris con-*

conſtet. 49. *facti qvæſtio juridica qvænam ſit* 50. *facti qvæſtio ab eo qvod fieri potuit ſeparanda* 131. *facti antiqvi qvæſtio in unaqvaqve ſcientia & arte ex hiſtoria docetur.* 160

Falſum *vero poſterius* 107. *aut ex ignorantia aut ex mala voluntate oritur* 112. *falſæ vel ſcripturæ vel hiſtoriæ argumentum* 140. 141. *Falſus in uno an fidem perdat in ceteris* 87. 88.

Fama *qvid & qvotuplex* 39. *qvomodo differat a notono* 39. *genuina & ſpuria* 132. *illa qvam probandi vim habeat* 50. 54. 131. 141. 145. *in demonſtratione facti antiqvi* 35. *in demonſtratione facti qvondam notorii* 36. *Fama nonnunqvam inducit notorium* 52. 53. *E fama tam affirmative qvam negative argumentum ducitur* 37. *fama conſentiens plenam facit fidem* 37.

Familiarum illuſtrium *incunabula ex hiſtoria docentur.* 160. 161.

Familiæ jus *ex hiſtoria docetur.* 164

Feudale jus *ex hiſtoria illuſtratur.* 31. 178.

Fides *qvam varias habeat ſignificationes.* 9. 10. 13. 14.

Digitized by Google

14. *qvemadmodum differat à ſcientia* 13. *fides* Chriſtiana *qvibus nitatur argumentis* 115. *Fides* hiſtorica *qvid* 14. *hæc in theſi non patitur contradictionem* 106. *idoneis rationibus comprobanda* 103. *certis caſibus ſummam habet certitudinem* 116. *interdum cum formidine falſi conjuncta eſt* 116. *Fidei utilitas ac neceſſitas in vita humana* 56. 57. 58. *Fides ſcripturæ indiviſibilis qvomodo intelligatur* 88. 89 97. 98. *Fides Scripturæ Sacræ indiviſibilis.* 88. *Fides carbonaria* 14. *Fides non facit fidem.* 125.

Filiatio *ex hiſtoria docetur* 164

Fines *agrorum provinciarum & regnorum ex hiſtoria docentur.* 164.

Forma *eſt de genere indiviſibilium* 89. *defectus forma in inſtrumento qvid operetur.* 89.

Futurorum *eventuum an detur ſcientia.* 18. 19.

G.

Genealogicæ *deſcriptiones qvænam veriores* 78.79.99. *controverſiæ ex hiſtoria deciduntur.* 25. 76.

Digitized by Google

Gentium jus vid. jus gentium.
Genuinus *liber qvomodo probetur* 105.
Germaniæ *res priſcis ſeculis geſtæ qvare magnam partem ignorentur* 135. 136. *Germanicarum rerum hiſtoria ex parte vitiata.* 93. 94. *cauſa hujus depravationis.* 93.
Gradus *fidei hiſtoricæ* 116.
Græcanicæ *nationis hiſtoria ab imputata ei falſitate vindicatur* 92.
Guntherus Poeta *hiſtorica fide ſcripſit* 25. *ad juris feudalis cognitionem utilis* 31. 171.

H.

Hercules & Herculiſcus *ad ſimilitudinem hiſtoriæ conſcripti* 59. *æqve delectare poſſunt ac hiſtoria* 110.
Hiſtoria, Hiſtoricus, Hiſtorica fides.
Hiſtoriæ *definitio* 16. *eſſentia in qvanam re poſita* 19. 21.
Hiſtoricus qvemadmodum differat a poeta 25. 26. *à teſte proprie dicto* 120. 121. *Hiſtoriæ materia & forma* 4.
Hiſtoria rerum 1. *hiſtoriarum* 1. *Objectum hiſtoriæ* 22.
Hiſtoria naturalis 22. 23. artificialis 23. moralis *qvænam & à qvibus tradita* 159. civilis 23. *hæc ad civilis ſcientiæ augmenta pertinet* 160.
Hiſto-

Digitized by Google

Hiſtoriæ civilis ſcriptor inter pacis opera leges qvoqve recenſere debet 30. *exempla hujus rei* 31. *uſus* 32. *Hiſtoricus an integra diplomata, documenta & contractus hiſtoriæ debeat inſerere* 26. 27. 111. 112. *Hiſtoriæ comparatio cum norma vel regula* 20. 21. *Hiſtoria vera & apparens* 6. *Hiſtoricus ex propoſito veritatis tradendæ æſtimatur* 22. *Hiſtoria verax qvænam* 106. *Hiſtoricus bona fide errans veniam meretur* 22. *Hiſtoriæ veræ judicium difficile* 7. *Hiſtoricorum catalogi* 2. *de iis judicia* 2. *Hiſtoriæ ſcribendæ peritia valde ardua* 135. *Leges ſcribendæ hiſtoriæ* 4. 5. 87. 135. *Hiſtorici diligentia in conſcribenda hiſtoria in qvibus partibus conſiſtat* 135. *Hiſtoricus circumſpectus eſſe debet in exploranda veritate eorum qvæ ſcribit* 132. *in qvibus illa circumſpectio conſiſtat* 85. 86. 139. 140. *Hiſtoriæ ſunt ſcripturæ privatæ* 35. 65. *Qvædam hiſtoriæ ſunt monumenta publica* 66. 67. 68. *Hiſtoriæ qvibus caſibus ſcripturæ publicæ fidem habeant* 67. 68. 69. *Hiſtori-*

ſtorica monumenta ſolam habent vim demonſtrativam. 62. *unde ea ſit.* 66.
Hiſtorica fides & *hiſtoria ſemper conjunctæ.* 6. *ejus pertractatio qvibus conſtet partibus.* 8. *Fidei hiſtoricæ ſcientia veram hiſtoriam à falſa dijudicare docet.* 8. *Hiſtorica fides an detur? dubitandi rationes* 33. 120. *Earum ſolutio:* 118. 119 *ſeqq. rationes decidendi* 33. *ſeqq.* 54. 55 *ſeqq. Hiſtoriæ fides philoſophorum & Poetarum ſuffragio comprobata* 84. *eadem JCtorum ſententiis approbata* 70. 71. *Hiſtorici voluminis fides ac veritas qvibus argumentis doceatur* 67. 68. 72. 77. 107. 108. 112. 130. 131. *ſeqq.* 135. *Hiſtoricæ veritatis examinandæ leges* 130 *ſeqq.* 137. 138. 139. *Hiſtorica fides in ipſo facto evidentior eſt qvam in circumſtantiis facti* 133. *præbet argumentum à poſteriori* 101. *qvonam rectæ rationis principio illud argumentum nitatur* 106. *in multis inducit notorium* 50. 114. 115. 116. *interdum tutior eſt qvam publicarum tabularum* 105. 165. 166. *ejus gradus*

dus 116. *ea tamdiu ſtandum donec contrarium probetur* 81. *tum demum ea ſtat immota ſi rigoroſum examen ſuſtinuerit* 77. *qva ratione ea allegata reprobetur* 77. 78. *Hiſtoria publicorum documentorum fide inſtructa reprobationem admittit.* 76

Hiſtoria *omnis ævi* vitiata *eſt* 92. *Hiſtorica fides non ubiqve ſincera* 74. 85. 141. 142. *Neminem hiſtoricorum non aliqvid mentitum eſſe* 86. *Hiſtoricus mendax & mentiens* 21. 87. *Hiſtoricorum depravatio duplice ex cauſa proficiſcitur* 65. 68. 118. 119. *Hiſtoricus patriæ ſuæ aut principis ſui geſta deſcribens facile incurrit adulationis ſuſpicionem* 63. 113. *Hiſtoria ex nimiâ ejusdem vel perſonæ vel reipubl. laudatione adulationis ſuſpicionem incurrit* 96. 97. *Hiſtoricus qva ratione declinet amoris aut odii ſuſpicionem* 134. *Hiſtoria factorum nimis recentium falſitatis ſuſpecta eſt* 93. 96. *Hiſtoria recens rerum nimis antiqvarum facile incurrit falſitatis ſuſpicionem* 96. 97.

Hiſto-

Digitized by Google

Hiſtoria diu poſt rem geſtam ſcripta unde fidem habeat 136. 137. 138. 147. 148. *Hiſtoriæ anonymorũ ſcriptorum qvando fide dignæ* 109. *Hiſtoricus fidei teſtimonium habet in vitæ ſuæ integritate perſpecta.* 112. *Hiſtoriæ corruptelas detegi reip. intereſt* 95. 96. *Hiſtoria in uno falſa non ſtatim & in altero talis exiſtimanda eſt* 88. 97. 98 *Hiſtorica fides qva ratione dividua ſit.* 87. 91. 92. 97. 98. 119. *non niſi urgentiſſima ratione dividitur* 91. 168. *Hiſtoricorum modica in eadem re diſcrepantia non ſtatim falſitatis argumentum ſuppeditat* 78. 134. *Exempla diverſarum de eadem re hiſtoriarum* 79. 80. *Ex ejusdem rei hiſtoriis diverſis utra probabilior* 78. 79. *Hiſtoriæ fidem impugnare non poteſt qvi ad eandem ipſe provocat* 103. 167. 168. *Hiſtoriæ approbatio & uſurpatio non eadem eſt* 80.

Hiſtoriæ uſus *varius* 3. *propriùs* 3. *ad doctrinam pertinet.* 154. *non ad ſolam exterorum utilitatem refertur* 28. *Num & ad univerſalia progrediatur* 154. 155. *ad principia artium ac*

Digitized by Google

um ac ſcientiarum proficit. 156. 157. *augmenta ſcientiarum & artium continet* 157. *ſeqq.* Hiſtoriæ uſus *in qvæſtionibus facti antiqvi* 160. *in jure civili & gentium.* 161. 177. *ſeq.* 188. *in jure publico* 162. 163. *in juribus ac poſſeſſionibus docendis* 163. 164. *Hiſtoriæ factorum recentium qvare in judicio fidem non faciant* 75. *qvales factorum recentium hiſtoriæ fidem faciant* 72. 75. *Hiſtoria qvoqvo modo ſcripta delectat.* 190. *Hiſtoriæ uſus in jurisprud. ſtudio* 161. 176. *ſeqq.*

Homagiorum *controverſiæ ex hiſtoria interdum deciduntur.* 76

Homicidium *voluntarium è qvibus colligatur circumſtantiis.* 49

I.

Jeſuitarum artes *in librorum depravatione* 142

Inſtitutiones juris civilis *non hiſtoriam ſed artem boni & æqvi in ſummam redactam continent.* 30.

Inſtrumentum *Notarii non habet tantam auctoritatem qvantam habet ſcriptura à Magiſtratu confecta* 60. *Inſtrumentorum ſolen-*

Digitized by Google

nitates cur introductæ 89. *instrumenti fides indivisibilis* 89. *quo casu ea sit divisibilis* 91. *Instrumentorum vitia* 89. 90. *falsitas unde cognoscatur.* 141. *seqq.* 166.
Intelligentia *est primorum cognitionis principiorum.* 13.
Intentio *agentium distinguit actus.* 59.
Josephus *historiæ suæ inseruit Romanorum principum decreta.* 31.
Judicis officium *causam plene cognoscere.* 49. *in examine testium.* 126.
Juramentum *de iis quæ moraliter certa sunt potest suscipi.* 36. *suppletorium quando habeat locum.* 90.
Jus *in facto positum.* 49.
Jus Gentium *ex annalium monumentis docetur.* 161.
Jus Justinianeum, *multa continet historica.* 29. 30. *ejus doctrina philosophica & historica.* 28. 29. *ejus præcognita in morali doctrina.* 159. *ejus doctrina ex historia illustratur.* 186. *seqq. it. usus & auctoritas.* 161.
Jus publicum *ex historia illustratur.* 162. 163. 177.
Justitiæ *partes* 10. *fundamentum.* 9.

Digitized by Google

K.

B. Keckermanni *sententia de diplomatum & contractuum integro tenore historiæ inserto* 26. 27. 28.
A. Krantzii *auctoritas* 70. 71. 166.

L.

Lapidum *inscriptiones quam fidem faciant* 34. 69. 145.
J. de Launoy *elogium* 150.
Legendæ *aureæ censura* 94.
Legendæ *de S. Catharina falsitas detecta* 149.
Chr. Lehmanni *acta publica & originalia de pace religionis* 112. *Chronicon Spirense* 111.
Lex *disponit universalitate sua & singularia* 155.
Lex Theopompus *explicatur* 125.
Legum mentio in historia debet fieri 30. *Legum rigo & mutationes in historia indicantur* 161. 177. 181.
Libri *genuinitas unde innotescat* 105. 107. 142. 143.
Livii *auctoritas* 103 *non tanta quanta Dion. Halicarnassei* 93.
Livii in historia Romana hallucinationes 86.
C. Londorpii *actorum publicorum collectiones.* 76. 112.
Lucanus *poeta historicus.* 25.

M.

Magdeburgenses *Centuriæ* 95. 96.

Digitized by Google

Mentiens & mendax *qvomodo differant.* 21. 86. 87.
Mercatorum libri *qvando fidem faciant.* 65. 66.
Metaphysica *certitudo qvænam* 114. 115.
Moralis certitudo *qvænam* 12. 13. 112. *qvos gradus habeat.* 114. 115.
Moralis doctrina *exqvisitior unde reddita.* 158. *ejus augmenta* 158. 159.
S. Munsteri Cosmographia 77. 78.

N.

Naturalis scientiæ *augmenta* 159. *historiæ naturalis scriptores* 22. 23.
Negativum argumentum *qvomodo formari debeat* 151. 152. *pura negativa an & qvando aliqvid inferat.* 152.
Nicæni concilii *subscriptiones suspectæ* 149.
Notarii *officium in exploranda veritate* 12. *Levis ejusdem error totum instrumentum nō vitiat* 90. *Notarius semel falsum instrumentum conficiens evadit inhabilis* 95.
Notorium *qvid* 40. *ejus materia* 40. *divisio* 41. 44. 45. *notorium facti qva ratione & qvomodo doceatur* 42. 43. *non admittit probationem contrarii* 44. 46. *super eo judex informationem sumere*

Digitized by Google

mere debet 45. Notorietas allegata per negationem fit dubia 41. 46. 47. Notorium juris unde existat 45. 46. Notorium plenum & minus plenum 50. Notorii gradus quoad certitudinem 52. quot testes ad notorii probationem examinandi & quomodo 42. Notorii objectum possunt esse & facta negativa seu non facta 45. 46. Notorium inducitur ex scriptura publice proposita 40. 41. 69. it. ex historia fide digna 50. it. interdum ex ipsa fama. 52. 53.

O.

Omnis vox quid denotet, cum res ab omnibus creditur 78. dictum de omni & de nullo, fundamentum est consequentiæ syllogisticæ 152.
Opinio communis sequenda est 78. 79. Opinio debet cedere veritati. 79
Orator ab historico differt 79.

P.

Palam proscribere quomodo intelligendum. 40.
Papa fœmina an unquam fuerit 80
Patronatus jus ex

hiſtoriis interdum probatur 164.
Peritus *in arte judicium ſuum in ſcriptis poteſt interponere* 123. *de operibus artis ſuæ recte judicat.* 7.
Perſonalia *ſermonibus funebribus adjecta in qvibus faciant fidem* 25.
Philoſophorum *ſectæ in hiſtoria philoſophica tradi debent* 160.
G. Phranzæ *hiſtoria mutilata* 84.
Pictorum *conſvetudo* 146.
Pictura *ad fidem rei vetuſtæ conciliandam qvænam idonea* 145. *picturæ falſæ qvodnam indicium* 145. 146.
Plutarchus *moralis hiſtoriæ gravis auctor* 159.
Poëſis *& hiſtoria qvomodo differant.* 25. 26.
Poetæ *nonnulli ad hiſtoricam fidem idonei.* 25. 26.
Politica *divinatrix* 19. 160.
Polybianæ *normæ ſimilitudo examinata.* 20.
Polydorus Virgilius 98. 99.
Prædictionum *variæ ſpecies* 17. *prædictiones futurarum rerum ex naturalibus principiis* 17. 18.
Præſumptio *juris & de jure plerumque excludit probationem contrarii.* 46.
Præteritarum *rerum*

rum obſcurarum explicatio. 17.
Precium *rei per peritos qvomodo caute inveſtigandum.* 123.
Principia *ſcientiarum unde exiſtant.* 155. 157. *ab hiſtoria ſuppeditantur* 156. 157.
Probalilitas *major vincit minorem* 78. 79.
Probationes *forenſes ad ſtatum controverſiæ & τὸ κεινόμενον dirigendæ* 48. 49. *judici faciendæ* 125. *probationes plenæ faciunt notorium* 46. 47. *qvænam ejus ſpecies non recipiant reprobationem* 46. 76. *qvalem eæ neceſſitatem habeant* 40. *probatio ſemiplena juramento ſuppletorio locum facit.* 95. *qvæ nec ſemiplena eſt juramento ſuppleri haud poteſt* 125. *probationes leviores in antiqvis admittuntur.* 74. *probationes leviores plures concurrentes faciunt fidem.* 36.
Ptolemæus Philometor *judex inter Judæos & Samaritas de templi vetuſtate controverſantes.* 165.

R.

Radevicus Hiſtoricus *juris feudalis*

particulas exhibet. 31.
Rectores rerumpp. *de futuris prævidere debent.* 19.
Religionis Christianæ *dogmata qvatenus fide historica constent* 148. 160.
Reprobatio *in qvibus probationum speciebus locum habeat* 47. *& historiæ eam admittunt.* 76. 77.
Repugnantium locus *argumentum demonstrativum parit.* 166.
Res judicata *qvale notorium inducat* 47. *per evidentiam facti subvertitur.* 47.
Romam esse *historica fide certi sumus.* 114.
Romana historia *vitiata* 93. *a Dionysio Halicarnasseo summa fide tradita.* 93.
Romanos *Alexandrum M. Legatione veneratos esse vana traditio est* 150.
Rumor *vanus qvisnam sit.* 132.

S.

Sacræ Scripturæ *fides indivisibilis.* 88. *interpretatio LXX interpretum non est θεόπνευστος* 88. *Chronologia qvædam continet ἄπορα* 134
Casp. Schützius *a B. Keckermanno minus recte reprehensus.* 27.

Digitized by Google

Scientia & fides differunt 13. scientiarum initia ex fide docenti habita 57.58. principia propria ex historia petuntur 156. scientiæ augentur per historiam 157. causam scientiæ suæ uti testis sic & historicus debet allegare 43. 108. 109. 139.

Scriptura character orationis 54. 56. habet actum permanentem 55. ejus ingens usus in vita humana 54. 55. nec omni nec nulli scripturæ credendum 58. Scripturæ fabulosæ ab iis qvæ veram narrationem continent cum judicio distingvendæ 59. qvædam non nisi ad fidem faciendam destinatæ 59. scripturarum ad fidem in judicio faciendam pertinentium species & vis probandi 60. 61. scripturæ publicæ species 60. 67. scripturæ privatæ species 61. scripturæ vis duplex demonstrativa ac dispositiva 62. utraqve illa vis limitata est suoq; respondet principio 66. scripturæ fides unde 66. an ea sit divisibil. 89. seq. scriptura supposititia qvibus argumentis doceatur 140. scriptura ex archivo prolata. 73. Sedi-

Seditionum *prædictiones ex cauſis earum.* 17. 18.
Senecæ *judicium de fide hiſtorica examinatur* 119. 120.
Senſus *an errare poſſint.* 10.
Sigfridus *II. Epiſcopus Hildeſ. quo anno mortuus* 167.
Sigilla *authentica qvænam* 61. *Sigillum publicæ perſonæ* 124. *qvibus modis vitioſum eſſe poſſit.* 124.
Jo. Simonetæ *hiſtoria.* 70.
Singularia *ex hiſtoriæ innoteſcunt.* 160.
Jo. Sleidanus *conſtitutionum ſuo tempore promulgatarum mentionem facit* 31. *ejus Commentarii à qvopiam errorum inſimulati* 72.
Societas humana *fide continetur* 56.
Solennitates *inſtrumentorum.* 89.
Speculum *exemplorum.* 49.
Status controverſiæ *qvotuplex.* 48.
Stili inconvenientia *falſæ ſcripturæ argumentum.* 140. 141.
Stumphii Chronica. 77. 78.
Suppoſititii libri *qvomodo innoteſcant.* 105. 106.
Syllogiſmus *verus & apparens* 6. *Syllogiſtica ars nititur dicto de omni & de nullo.* 152.
Synchroniſmus *fidem hiſtoriæ conciliat.* 130. 131.

Digitized by Google

T.

Tacens *quod consentire videtur in historiæ scriptore locum non habet* 148.

C. Tacitus *contra nonnullorum imputationem defensus.* 133.

Templi Hierosolymitani *vetustas ex historia asserta* 164. 165.

Tertii jus *in omni actu reservatum censeri debet.* 66. 67.

Testis, Testimonium. *Testium dicta a testimonio diversa* 120. *Testibus non testimoniis judicandū* 121. *seq. Testimonia extrajudicialia parum fidei sæpe habent* 124. *testimonium hominis extranei* 68. *ex testimonio silente quodnam argumentum ducatur* 147. *seqq. Testes per scripturam deponentes nihil probant.* 121. 122. 124. 125. *Testes quomodo examinandi* 126. *de lubrica testium fide* 120. *testimonii humani & divini discrimen* 130. *testis suspicione carens admittendus est* 113. *testis oculatus aurito potior* 148. *testium numerus ad notorii probationem* 42. *testis causam scientiæ suæ debet allegare* 42. 43.

Thuanus. 72.

Digitized by Google

Thucydidis *Hiſtoria fide digna.* 72.
Traditio genuina *a ſpuria qvomodo diſtingvitur.* 144. 145. *traditionis genuinæ vis in rerũ vetuſtarũ demonſtratione.* 143. 144.
Trãſumt *ſeu exemplum antiqvum probat.* 74.

U.

Valerius Maximus *hiſtoriæ moralis auctor* 159.
Velleii Paterculi *adulationes.* 93.
M. Pauli Veneti *hiſtoria erroribus inqvinata.* 22.
Veritas *cognoſci poteſt & in rebus à ſenſu noſtro remotis* 36. 50. 52. *Veræ orationis cauſa qvodammodo eſt ipſius rei exiſtentia.* 101.
Verulamii Angliæ Cancellarii *de officio Hiſtorici ſententia.* 30.
Veterum auctoritas. 85.
Vetuſtæ rei *origo qvomodo inqvirenda* 35. 36.
Virtutum & vitiorum moralium *exempla ad Hiſtoriam moralem pertinent.* 159.
de Undecim mille virginibus *fabula exploſa* 140. 141.
Univerſalium *& ſingularium cognitio* 154. 155.
Vox *habet actum tranſeuntem.* 55.
Utile *per inutile non vitiatur.* 91.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google